PARATITLA IN 5. LIBROS DECRETALIUM GREGORII 9. PAPÆ...

Alexandre : de Chasseneux

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
jori Coll. Rom.
Societ. Jesu

VITT. EMANUELE
NAZIONALE
13
2VG
40
BIBLIOTECA

A 13-14. B. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr.

PARATITLA
IN V. LIBROS DECRETALIVM Gregorij IX. Papæ.

B. S.

ALEXAND. CHASSANÆO Parisino Auctore.

Editio secunda à mendis purgata, ab Autore ipso recensita & recognita.

BIBLIOTECA N.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud THOMAM BLAISE, via Iacobæa ad insigne D. Thomæ.

M. DC. XVIII.

Cum Priuilegio Reg.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.LE
ROMA

ILLVSTRISSIMO,
ET ORNATISS. VIRO
D. NICOLAO de VERDVN
Senatus Galliæ Principi
& ſanctioris intimíque
Conſeſſus Chriſtianiſſi-
mi Regis Conſiliario,

ALEXAND. CHASSANÆVS
S. D.

MAXIMVS *Toloſas Iuriſconſultus (Princeps Senatus ampliſſime) dum ad filium ſcribit, ſine ſtudiis iuris ciuilis neque ſtare res, neque mores hominum conſtitui,*

componi, aut temperari posse asserit. Id non aliò pertinet, quàm vt is tantùm reipub. administrationi par credatur, qui munia Iurisconsultorum exsequi, id est, regere consiliis vrbes, ornare legibus ciuitates, priuatas ciuium contentiones iudiciis dirimere queat. Eius sententiæ fidem faciunt Iulianus, Mæcianus, Papinianus, Paulus, Vlpianus, & ceteri notæ autoritatis Iurisconsulti, quorum alij propter summam iuris peritiam à Principibus in consilium sunt assumpti; alij in Repub. maximas amplissimásque gesserunt dignitates. Testimonio etiam est his antiquior Romanæ parens eloquentiæ: cuius vt nobilissimè actus est consulatus, &

integerrimè omnia in Repub. administrata: ita siue in publicis, siue in priuatis negotiis, destitutus eâ scientiâ nunquam fuit. Ipse Iustinianus Imperator, vt doceat quàm maximè ciuilis ea Philosophia rerum humanarum arbitris sit necessaria, ad gloriam & verum decus sibi nomen Augusti & Triumphatoris, ceteróque maximi splendoris titulos parum proficere arbitratus est, nisi legitima quadã accessione iuris quoque religiosissimum se profiteretur. In re tam facili (Princeps Senatus amplissime) liceret aliquanto liberius excurrere, & scientiam legitimam suis nominibus commendare. Verũ cùm tu is ille sis, qui eam semper apprimè colue-

ris, & egregios quosque eminentioris gradus honores in Repub. perfunctus sis, quid non ornatus eius abundè est? Frustrà fueris singula quæque munia & grauissimi Senatoris, & integerrimi Præsidis, siue in Curia libellorum supplicum, siue in Senatu ipso Parisiensi peracta recensuisse: Illud vnum omnibus præstat, quòd in his obeundis eam virtutem, fidem, doctrinam, prudentiam ostenderis, vt tandem eius maximi Principis iudicium meruerris, qui Franciam iam nutantem, suisque pene conuulsam sedibus ad proprium redegit libramentum. Ille Rex inuictissimus (dico Henricum Magnum, de cuius in hoc regnum meritis nulla vnquam

ætas conticesceret) cùm te omni honore agnosceret longè superiorem, in Senatu Tolosano tibi principem locum assignauit, in quo haberes facultatem & animi, & ingenij tui in Reipub. commodis vberiùs explicandi. Vt verò in maximis quibuscunque reipub. momentis sua tantum Principem non fefellit opinio: Ita in te huic muneri deligendo iudicium illi accuratum non defuit. Id rerum ipsa argumenta probauerunt: vbi enim ad demandatam tibi prouinciam accessisti, nihil tibi prius, nihil posterius fuit, quàm vt pacata & quieta essent omnia. In vrbe suum forum, suum curiæ constitit officium. Iuuentutem ipsam, quæ in florenti

Academia, tanquam in nobili bonarum artium emporio ſpei parentum & publicæ prouidebat, à cura & ſollicitudine tua immunem eſſe paſſus non es. Denique talem te vbique præſtitiſti, vt cùm primaria illa dignitas in ſecundo Galliæ Senatu per ſe ſplenderet, illuſtriſque eſſet admodum, tua tamen autoritate facta ſit ornatior. Summam tum ciuilis, tum canonicæ prudentiæ peritiam grauiſſimi Senatores ſunt demirati: Toloſa ipſa quantumlibet clariſſimos ediderit Iuriſconſultos, iure tamen adoptionis te totum honori ſuo vindicat. Candorem verò animi ſummámque in iure dicendo fidem, non eſt quòd magis probauerint vniuerſi, quàm

Digitized by Google

ùm te currentem, & in eo
hemidis Tholoſanæ campo
nga ſpatia tranſmeantem Lu-
tia ad ſe reuocauit. Hi tum
mmo mœrore ſunt affecti, &
uaſi carendo magis quàm
uendo bona ſua intelligerent,
bi iuris & æquitatis paren-
m ereptum eſſe publico voto
nt profeſſi. Vix eſt tamen vt
ſta cuiquam videri poſsit eo-
um expoſtulatio, cùm te hæc
rbs ſuis legibus vindicaueris
bi, quæ nec alijs conditionibus
limiſerat, quàm vt rebus di-
tantibus aliquando repeteret.
d tum contigit, cùm maximus
lle magiſtratus Achilles Har-
æus à reipub. cura, quam ſum-
na cum integritate & animi
onſtantia geſsit, ad quietem &

otium ſecedere inſtituit, & di-
gnitate Principis Senatus Galliæ
ſe abdicauit. Vnus es delectus,
qui tanto viro ſuccederes, &
eminentiſsimi faſtigij gradum
obtineres, quem dudum meritis
poſsidebas. Sed tum maximè
vis & lumen ingenij, conſiliique
tui emicuit, cùm eum honorem
es adeptus: nullus tibi intermiſ-
ſus labor, nulla ne modicum in-
terquieſcentis animi ceſſatio,
quin te totum reipub. dederis.
In eo operam, curam, diligen-
tiam, nauitatem defixiſti om-
nem, vt populi commodis &
ſaluti conſulas: in te ſpes & ra-
tio omnis publicæ ſecuritatis
conſtat: In te Francici Imperij
moles recumbit inclinata. Quæ
cùm ita ſint, & eo loco ſis con-

titutus, quo veteribus negotijs noua semper accrescunt, & naius maiúsque in dies occupationum agmen extenditur; mium est illud tamen, quòd nullo abore, nullis vigilijs frangeris, ed eam præstantis animi magnitudinem ostendis, qúæ aspera quæque & difficilia possit superare. Hinc est quòd siue de noribus & disciplina pro tribunali ipso instar grauissimi cẽsoris disputas, siue in comitijs purpueis diuina Senatus amplissimis andis oracula, tantæ eruditionis periculum facis, vt (quod de doctissimo Porphyrione prodidit Eunapius) iurè quisq. te vocare possit ἔμψυχον βιβλιοθήκην. Cùm vero passim & promiscuè ambigua causarum fata compo-

nis, qua grauitate, qua conſtantia, præſcriptam legũ duritiem cum temperamento benignæ æquitatis ſubſequeris? Quid quod in ſummis magiſtratibus iura ciuilia deſiderãt? Ita te comem, & cum ingenio patientem erga florentiſſimi ordinis viros exhibes, vt iam quotidie Senatus ille Pariſienſis totius orbis lectiſſimus diſertiſſimis doctiſſimorum patronorũ orationibus perſonet, qui ſæpiſſimè dum concitato ſtudio ſuam tibi inuicem probare induſtriam cupiunt, ſummis & doctrinæ & eloquentiæ viribus pares diſcedũt. In leges publicæ commoditatis peccare videar, ſi grauiſſimas occupationes tuas, quas bono reipub. ſemper addixiſti, &

Digitized by Google

unc impendis, ſermone morer
rotractiori. Ingenij etiam ni-
ium confidentis exiſtimer, ſi
mnes illas virtutes, ſummáſque
nimi dotes tui, non dicam il-
ıſtrare laudando, ſed percen-
re enumerando inſtituerem.
taque cùm nec illud debeã, &
ſic tenuiſſimi paruitatis meæ
onatus aſſurgere nequeãt; me-
ioris notæ artificibus illud ne-
otij relinquã, qui cum tam in-
igni argumẽto paria facere va-
eãt, & in eo expoliẽdo operam
& induſtriam collocent ſuam.
nũ illud mihi liceat, ad fauo-
em tuum, quo benignè vota cũ-
torum ſuſcipis, decurrere: Li-
eat in tuã fidem & clientelam
quantulacunque Iouidenſis in-
enij monimenta conferre. Hæ

breuiuſculæ in libros decreta liñ
ανεψιός te ſibi parauerunt
vindicem & aſſertorem: patere
illas auguſtiſſimi nominis tuî
fulgore ſplendeſcere; ſine ſe tuo
tueantur patrocinio. Quòd ſi
fœlicibus auſpicijs, (vt non mi-
nus beneuolentiæ iura, quàm
litium, peritè calles,) illud à te
conſequentur; & ſuum quoque
fatum aſſequentur. Ego verò
tanti, tam ingentis beneficij licet
tibi gratias rependere nullas
poſſim, habebo tamen maximas:
& quemadmodum qualiſcun-
que induſtriæ meæ fructus iure
à me poteris repetere, ita tibi
vniuerſos referam in acceptum.
Vale. Luteciæ Pariſiorum, po-
ſtrid. Idus Decemb. anni ſecu-
laris & Iubilæi, 1612.

:xtraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Iean le ouc marchand Libraire en l'V- iuerſité de Paris, d'imprimer ou ire imprimer, vendre & diſtri- uer par tout noſtre Royaume, liure intitulé *Paratitla in quin- ue libros Decretalium Gregorij IX.* *ſpé, Alexandro Chaſſaneo Pariſino* *ctore*, & ce pour le terme de ſix is, à compter du iour que ledit re ſera acheué d'imprimer, ndant lequel temps, defenſes nt faites à tous marchands, Li- aires & Imprimeurs de tout ſtre Royaume, de quelque t, qualité ou condition qu'ils ent, d'imprimer ou faire im- imer, vendre & debiter ledit re, ſur peine de confiſcation d'amende arbitraire, comme s à plein eſt porté par les let-

tres de ſa Majeſté ſur ce données à Paris le 15. iour d'Octobre 1612. & de noſtre regne le troiſieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil,

PERROCHEL.

Et ledit le Bouc a ceddé audit Blaiſe ſondit priuilege par acte paſſé pardeuant Fardeau & Manchon, Notaires au Chaſtelet de Paris, le 17. Iuillet 1617.

PARA-

PARATITLA

IN QVINQVE LIBROS
decretalium Gregorij IX. Papæ

BIBLIOTECA
RONA
VITTORIO EMANU

ANONVM Ieien-
tiam commendat
Iustinianus his
verbis, in l. 45.
ff. Cod. C. de epiſc.
& cler. τοὺς θείους
κανόνας (inquit) ὅτι ἐλαττον τῶν
ἡμῶν ἰσχύειν νομίζουσι βούλον) νόμοι-
ſidem profitetur ſe ſuis legibus
rogare quod canonibus eccle-
æ aduerſari perſpectum habet.
lem etiam N. 83. id ſe in animo
abere dicit, vt conſtitutionibus
iis regularum eccleſiaſticarum
eſtigijs inſiſtat, ſequatúrque
mper quidquid eæ præcipiunt:

Digitized by Google

& N. 131. in pr. τοὶς καινόναις ὡς νόμοις φυλάττομεν. Qui ſecuti eum ſunt Imperatores, magni quoque fecerunt ſcientiam illam: & ideo qui componendorum & recenſendorum *βασιλικῶν* auctores fuerunt, ijdem curauerunt etiam, vt quantum fieri poterat accurata diligentia, canones in vnum corpus redigerentur, iique emendatiores in publicum prodirent, vt elicitur ex his quæ tradit magnus anteceſſor *lib. 6. Obſeruat. cap. 9.* Eadem ratione Harmenopulus *in προχείρῳ*, & alij Græci Iuriſconſulti, frequentes vtuntur canonum authoritate, & inuicem enarratores canonum, Zonaras, Balſamo, Harmenopulus ipſe, legum ciuilium ſacra venerantur & colunt. Ita Nicolaus Papa *in can. 1. 30. qu. 3.* venerandas ait Romanas leges: & Innocentius 3. *in cap. 1. inf. de*

Digitized by Google

per. no. nnciat. ſacrorum ſtatuta
anonum, ait conſtitutionibus
rincipum maximè adiuuari. Ex
is conſtat ſcientias illas duas, iu-
ş ciuilis & canonici, coniunctiſ-
imas inter ſe eſſe, nec facilè vn-
quam diuelli, ſed ſuis vicibus al-
eram alterius auxilio ſemper in-
ligere. Itaque non parum pon-
leris ius canonicum confert illis
qui iuri ciuili dant operam, vt
egitimæ ſcientiæ peritiam adſe-
qui is integrè vix poſſit, qui iuris
quoque pontificij notitiam non
nabeat: quippe quòd in multis
uri ciuili auctoritatem addat,
leroget nonnumquam, & detra-
nat, in multis etiam illud inter-
oretetur, & declaret. Decreta-
ium autem nomine inſcriptus
eſt hic Gregorij noni codex, à
maiore parte ſui, quia in eo vt
plurimùm continentur decreta
ſiue decretales epiſtolæ ſummo-
rum Pontificum, quibus ad deſi-

deria, libellos, relationes, consultationes quorumcumque rescripserunt. Decreti verò nomen (ex quo Decretales dicuntur) hîc restrictiorem habet significationẽ, nec provt generaliter, eo innuitur quidquid iudiciali arbitrio transactum terminatúmve est, sed idẽ ferè sonat quod ψήφισμα, quo sæpius plebis, & populi, aut maiorum magistratuum scita significantur, quæ omnes tenent. Hoc sensu, lex 48. ff. de re iud. quæ iubet decreta à prætoribus latinè interponi, de his decretis accipienda est, quæ ad publicam vtilitatem spectant, non de his quæ promiscuè & passim in causis priuatorum interponuntur: hæc enim Græcis verbis & litteris dictari non vetantur. *l.* 12. *iudices. C. de sent, & interlocut.* Ita dicitur decretalis bonorum possessio, quæ ex edicto prætoris venit, siue potius quæ ex sententia edi-

cùm eius verba deficiunt, vt
eto opus ſit : & ſententiæ
nperatoribus in cognitioni-
rolatæ (quæ & legum vicem
nent) peculiari nomine de-
a vocantur. *l. vlt. C. de legib.*
d & conſtat ex libris decre-
m Pauli I. C. quibus colle-ge-
ententias Imperatoris Anto-
& Seueri, vt indicio eſt epi-
he l. vlt. ff. de her. inſt. & l.
de fideiuſſ. aliarúmque, quæ
in Pandectis multæ ex his
is. Hanc verò decretalium
ectionem Gregorius fecit
Raymondum Capellanum
n: eandémque cauſam habuit
m Iuſtinianus componendi
dicis ſui: vt ſcilicet maiorum
rum conſtitutiones & epiſto-
decretales confuſas, nec bene
ordine digeſtas, diſſidentes
s, ſibíque inuicem contrarias,
τὰ αὐτὰ λεγούσας, ordini ſuo
deret, & ad concordem &

exactam consonantiam reduceret: quæ alioqui in diuersa sparsæ volumina, mole ac magnitudine laborabant suæ. Quod superest; ideo hi libri dicuntur Extra,& ita adduci solent,quia continent cõstitutiones summorum Pontificum,quæ post corpus Canonum ex Latinis ab Yuone episcopo Carnotensi primò cõpositum, à Gratiano posteà recensitum, & in eum ordinem, qui nunc est, redactum, editæ fuerunt, provt variæ causarum & negotiorum figuræ expostulare videbantur. Continent etiam synodorum generalium statuta, quæ ab eo etiam tempore emanarunt, vsque ad Gregorium horum librorum auctorem. Sed & hinc inde quædam antiquorum ecclesiæ patrum placita his libris etiam sparsa sunt. Nam & hæc canonum vicem obtinent,& huius iuris partem facere dicuntur. *can. de libellis. 20. dist.*

ARATITLA IN LIBRVM PRIMVM decretalium Gregorij noni Papæ.

De ſumma Trinitate & fide Catholica. Titulus I.

ORDITVR Gregorius à iure ſacro, quod præcipua pars eſt iuris publici: & primùm de his tractat, circa quæ Chriſtianæ religionis momenta verſantur, nimirum de ſumma Trinitate, & fide Catholica: de eáque definit, quid quiſque ſentire debeat. Poſtea de ſacramentis, de illo maximè, in quo celebratur θυσία ἀναίμακτος. Adijcit non ſolùm virgines, & eos qui con-

tinéntiæ votum profitentur, posse ad æternam beatitudinem peruenire; sed eos etiam qui matrimonij nexibus sunt alligati: quod ita constituitur contra hæreticos, qui nuptias tanquam Deo inuisas auersabantur: qua de re est can. 51. apost. sunt & Canones Gangrensis Concilij ferè omnes. Quæ sunt in hoc titulo reliqua, quia interioris philosophiæ sunt, vltrà non licet attingere: nam & præstat alioqui multa securè prætermittere, quàm cum periculo dicere.

De Constitutionibus. Tit. 2.

SEquitur titulus de constitutionibus. Constitutionis nomen ἐν πλάτει, hîc accipitur pro sententijs patrum, placitis generalium conciliorum, & decretis summorum Pontificum: hæc enim omnia Canonum nomine

nſentur. Cauetur autem vt no-
e conſtitutiones futuris tantùm
gotijs formam dent; non præ-
ritis, non pendentibus. *cap.* 2.
fin. hoc tit. l. leges. C. de legib. l. vlt.
. de pact. pign. & comm. lege in pig.
ſc. Iuſtin. N. 21. τὰ παλαιότερα
περιεργάζεαϑ, καὶ τοὺς πρὸ δύο
χρόνους αἰϑιᾶν, συγχύσεως μᾶλλον,
νομοϑεσίας ὄϕλειν. Hac ratione
quo ad præterita error facit ius.
. *Barbarius. ff. de offic. Præt. cap.* 2.
nf. de tempor. ordin. Ante legem,
nulla damnatio eſt, ſed ex lege:
nec videri quis poteſt commiſiſ-
ſe in eam legem, quæ nondum
lata eſt. *can. dixit Sara.* 32. *qu.* 4. *l.*
iubemus. 29. *C. de teſtam.* Ita D.
Ioannis *cap.* 15. εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλά-
λησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἴχον.
Denique ea videntur conceſſa,
quæ nominatim prohibita non
ſunt. *l.* 43. *mutus. §.* 1. *ff. de proc. can.*
ſam nunc. 28. *qu.* 1. Excipienda

ſunt ea quæ parem cum eo quod lege prohibitum eſt, rationem habent, quæque ex eo ſequuntur. *cap.* 4. *hoc tit. cap.* 2. *verſic. ſed neque. inf. de tranſlat. Epiſc.* Excipienda ſunt etiam, quæ ius naturale prohibet, quæ natura ipſa turpia ſunt. Cicero 3. Verrina: *Nulla in lege præteritum tempus deprehenditur, niſi eius rei, quæ ſuæ ſponte ſcelerata eſt, vt etiam ſi lex non eſſet, magnopere vitanda ſit.* Conſtitutionis autem nomine, veniunt etiam hoc titulo, ſtatuta, Eccleſiarum, Capitulorum, Vniuerſitatum, quæ ſibi ius conſtituunt, quo obligantur hi tantùm qui ſunt ex collegio. Statuta capitulorum non valēt aliter quàm ſi epiſcopi conſenſus accedat. *cap.* 9. *inf. de conſuetud.* Non valent etiam, ſi rationabili cauſa non fuerunt inducta: vt ſi præbendarum numerus minuatur cupiditatis gratia, quo reditus canoni-

rum augeãtur. *cap. pen.* Si ſtatu- auctores ſui emolumenti gra- a id fecerint, ſéque onere exe- erint, alios aſtrinxerint. *cap.* 6. 7. *& pen.* Tunc demum robur btinent, ſi & ſolemnia interceſ- rint, & legitima ratione nitan- ur.

De Reſcriptis. Tit. 3.

REſcripta de quibus hoc ti- tulo, ſunt litteræ ſummi ontificis, vel principis etiam; uibus, libellis vel precibus, reſ- ondent. Ideo & reſponſa dicun- ur interdum, *l. vt reſponſum. C. de ranſact. & ἀποφάσεις. in l.* 1. §. 1. *f. de appellat.* Hæc plerumque us conſtituunt, & ex eiuſmodi eſcriptis etiam ferè omnes libri decretalium conſtant, vt dictum eſt. Preces ſiue libelli, (qui De- moſtheni in oratione pro Cte- ſiphonte, & Iuſtiniano, N. 155. in

pr. dicuntur *ἰκμηεία*) hoc iure vocantur petitoria, ſiue petitoriæ inſinuationes. *cap.* 13. *hoc tit. can. Frigentius.* 16. *qu.* 7. petitoriæ oblationes, *can.* 6. *certum. de conſecr. diſt.* 1. pyctacia, *in can.* 2. 30. *qu.* 3. commouitoria etiam, *in can. fin.* 31. *qu.* 2. quòd ſeriem rei, vt acta eſt, contineant. Reſcriptorum quædam ſunt iuſtitiæ; quædam gratiæ. Quæ beneficium continent, ea perpetua ſunt. *cap. licet. de reg. iu. in* 6. aut certè intra decem annos his vti poteſt, qui ea obtinuit. *l.* 1. *ff. de nundinis.* At quæ ex iure communi dantur à principe, vel à papa, ad iudices obtinendos, ad iudicati exſecutionem, & alia eiuſmodi, quæ in ipſis rerum argumẽtis ſæpe occurrũt, ea annalia ſunt. *cap.* 23. *hoc tit.* quod de reſcriptis iuſtitiæ tantùm eſt accipiendum. Antiquo iure indiſcriminatim videntur fuiſſe perpetua. *l.* 2. *C. de diu. reſcr.*

Digitized by Google

.& vlt. C. Th. eod. tit. Antiquiore
on item: & ita Plinius ſecundus
46. *&* 47. *lib.* 10. oſtendit di-
omata quædam fuiſſe quæ in
u eſſe deſinerent ſi eorum dies
æterijſſet. Rurſus, In his quibus
iquid ex mera, & benigna libe-
litate indulget princeps, vel
mmus Pontifex, inſpiciendum
t tempus, quo datum eſt reſcri-
tum, vt duobus idem benefi-
um perſequentibus, is præfera-
ur, non qui prior reſcriptum
ræſentauit, ſed qui prior litte-
as ad beneficium impetrauit.
ap. 12. hoc tit. in 6. cap. eum qui. de
ræbend. eodem libro. idque ſerua-
ur perpetuo, quoties inter duos
uæſtio eſt de beneficio iure re-
galiæ à rege Franciæ conceſſo. At
n reſcriptis iuſtitiæ, tempus illud
nſpici debet, quo litteræ iudici
el parti fuerint oblatæ. *cap. 59. vt*
lebitus. inf. de appell. Vt autem hæc
liuerſa ſunt, ita quæ ſequũtur sũt

communia: vt in reſcriptis omnibus hæc conditio tacitè inſit, ſi preces veritate nitantur. *cap.* 2. *hoc tit.* (quam clauſulam ius ciuile deſiderat, nominatim in tenore reſcripti inſeri. *l. vlt. C. de diuerſ. reſcr.*) Item vt is reſcripti commodo careat, qui id ſiluit, quo expreſſo ad deſiderium ſuum non peruenisſet. *cap.* 8. 17. 27. *pen. hoc tit. cap.* 7. *inf. de fi. inſtr.* Nec is modò, ſed is etiam qui falſa ſuggeſſit, *l.* 5. *C. ſi contra ius vel vtil. publ. l.* 29. *ff. ad l. Corn. de fal. Paulus lib.* 1. *ſent. tit.* 12. Verùm id ἀδιοείτως Innocentius III. *in cap.* 20. *hoc tit.* non admittit, ſed conſtituit vt is quidem qui dolo, & malitia, vel falſa allegando, vel vera ſubticendo, reſcriptum impetrauit, careat penitus impetratis. Inter eos autem qui ignorantia tantùm, aut dum minus cauent, in facti narratione vel in tacendi fraude mendaces extite-

nt, ita distinguit, vt hi tantùm
nolumento litterarum careant,
ii ea precibus sunt complexi, vel
miserunt etiam, quæ si fuissent
cita, vel expressa, omnino litte-
s non impetrassent: in alijs ve-
o lis suo marte procurrat, & qui
dex rescripto datus est, cognos-
t pro tenore veritatis, non pro
ecantis assertione: qua distin-
ione composuit l. 2. *C. contra ius*
l vt. pub. cum d. l. 5. *eod. tit.* In
scriptis id etiam inspicitur, vt
osint petenti, nemini noceant.
n. de eccleſiaſticis. 25. *qu.* 2. *l.* 2. *C.*
precibus Imp. offer. nec enim so-
t princeps aliquid decernere in
terius iniuriam. *l. vn. de teſtam.*
. *Hermogen.* Requiritur quo-
ne, ne legibus quæ obtinent,
luersentur; iudices enim pro-
beantur eiusmodi rescripta exe-
tioni mandare, *l. pen. C. de pre-*
. Imp. offer. Ita in *l.* 12. *C. de iud.*
ς ἀκριβείας τῶν νόμων ὁ δικαστὴς

φρονλιζέτω, μηδὲν τοῖς ἀξιοχρέοις ῥητῖνι ἀλλὰ βασιλέως ἀφιστέχων. Multa princeps, vel ſummus pontifex, precatoris importuni deuicti inſtantia, aut etiam per occupationes nimias, concedunt, quæ alioqui non æquo iuris libramento ponderantur. *l.*1.*C. de petit.bon. ſubl. lib.* 10. *cap.*3. *de capel. monach. cap.*12. § *ceterum. inf. de purgat. can.* & in his igitur caſibus patiũtur reſcripta ſua negligi. *cap.* 6. *inf. de præbend.* patiuntur ſe pro ſua fama ſuperari, vt ait Caſſiod. At & iudex qui de fide reſcripti dubitat, principem vel ſummum Pontificem debet conſulere, & interim reſcripti exſecutionem ſuſtinere. *l.*27. *περὶ πίσ. C. de epiſc. aud. l. fin. C. de execut. & exact. tit.* 10. *cap.*5. *hoc tit. cap.*2. *inf. de offic. & pot. iud. del.* Id etiam obtinuit, quò nullus error in principum conceſſionibus intercederet, fraúſque

aúſq; omnis amoueretur, vt ite-
ta iuſſione quod fieri princeps
olebat, ſignificaret: vt Caſſiod.
tis perſpicuè innuit *lib. 2. var.*
.11. Hinc& ſecundarium reſcri-
tū dicitur *in l. 2. C. Theod. de in-*
rp. & Iuſtin. *N.* 17. *cap.* 4. δευτέρα
πεῖρα & δευτέρα κέλευσις, *N.*
4. *cap.* 6. Hoc quoque iure in
eneficijs à Papa conferendis, re-
uiruntur litteræ monitoriæ,
ræceptoriæ, exſecutoriæ. *cap.*
.37.39. *hoc tit.* Sunt verò & alia,
uæ deſiderantur in his reſcriptis
uibus iudices extra ordinem
antur à ſummo Pontifice: Vt
orum obtentu non liceat ali-
uem euocare vltra duas diætas,
l eſt vltra iter bidui. *cap.* 28. *cap.*
.quod ad vnam reſtrictum fuit,
ap. ſtatutum. hoc tit. in 6. Vt ea non
aleant, quibus arbitrium conce-
itur impetranti, quos velit iudi-
es eligere: aut ei permittitur o-
nnia negotia ſua alicuius iudicis

notioni committere. *cap.* 10. Vt secundum rescriptum non valeat ad alios iudices impetratum, nisi de primo mentionem faciat, *cap. 3. hoc tit. cap. 29. inf. de offic. & pot. iud. del. cap. 48. inf. de appellat.* Vt ex rescripto contra aliquem impetrato non possit heres conueniri, nisi ex eodem defunctus fuerit ad iudicium euocatus. *cap.* 36. Olim precibus Imperatori oblatis & ad eas rescripto elicito, quasi lis contestata esset, poterat eius heres, in quem porrectæ erant, conueniri, licet defuncto dies ad iudicem dicta non fuisset. At nouo iure illud licet tantùm, cùm actiones annales aut prætoriæ sunt. *l. vlt. C. qu. lib. pr. da. li. contest. fac.*

De consuetudine. Tit. 4.

NOn solùm ex constitutionibus & rescriptis ius ori-

Digitized by Google

ur, ſed etiam ex conſuetudine,
uæ dicitur νόμος ἄγραφος, vt vi-
e verſa ius quod ex ſcripto venit,
γώφια ἔγγραφος. Conſuetudo
im demum recipitur, cùm de-
cit lex. *can. conſuetudo, diſt.* 1.
ecipitur etiam cùm rationi cõ-
ntanea eſt: nam quæ æquitate
eficitur, nullius eſt momenti.
p. pen. hoc tit. l. 39. *ff. de legib.* E-
ſmodi eſt, quæ in damnum
cleſiæ eſt introducta. *cap.* 1. Ita
qua aduerſus leges aut cano-
es irrepſit errore manifeſto,
on eſt ſequenda omnino. *cap.* 7.
oc tit. cap. 4. *inf. de offic. Archid.*
lque etiam ſi iuriſiurandi reli-
io interceſſerit de ea ſeruanda.
p. 1. *inf. de his quæ fi. à præl. ſine*
nſenſu capit. Demoſthenes apud
ell. lib. 10. σὺ μὴ λέγε ὡς γέγονεν
τω πολλάκις, ἀλλ' ὡς οὐθοώκει
γεσθαι· ὁ γὰρ εἶπε πώποτε μὴ χρῆ
ὶς νόμους ἐνεγράφθη, σὺ δὲ τοῦτο ἐ-

μιμήσω, διὰ τῶν ἀποφύγοις αὖ δικαίως. Admittitur tamen interdum contra legem ipsam, si euidentioris vtilitatis ratio suadeat, & legitimè sit præscripta. *cap. vlt. hoc tit. cap. dilecti. inf. de arbitr.* quia scilicet nec ciuitates ita sibi ius constituunt, vt ab eo quandoque recedere vsu exigente non liceat. Ita in multis prouincijs, quæ scripto iure vtuntur, consuetudines quædam vetũtium consensu comprobatæ sunt contra ius ipsum. Præcipua verò est autoritas consuetudinis cùm iure nititur, & propè legem vincit, legésque interdum secundum eam dantur. *can. erit. dist. 4.* & tum demum fides cuiusque contractus seruãda est, cùm specialiter nihil sit aduersus consuetudinem regionis. *l. circa. C. de loc. & conducto.* In probatis igitur consuetudinibus, retinendus mos est fideliſſimæ vetustatis, vt loquitur. l. *testamenta.*

Digitized by Google

de teſtam. neque ab eo iure fa-
e eſt recedendum quod diu æ-
um viſum eſt, quódque aut
rta ratione cõſtitutum fuit, aut
ſeruatum. Cùm autem de fide
nſuetudinis quæritur, id inſpi-
endum eſt maximè, quod in
inis regionibus obtinet. *cap.* 6.
tit. cap. 22. *inf. de cenſib. cap.* 3. *inf.*
ognat. ſpirit.

e poſtulatione Prælatorum.
Tit. 5.

Rælati, qui habent αὐθεντίαν
διαδοχῆς ἀποστολικῆς, vt ait Sy-
. ep. 66. adſciſcuntur hoc iure
electionem, vel poſtulatio-
n, quæ & ipſa ſpecies eſt ele-
onis. Ideo electus is plerum-
dicitur qui poſtulandus. *can.*
entẽtiamus. 63. *diſt. cap* 11. *inf. de*
nt. At poſtulantur hi, qui re-
via non poſſunt eligi, propter

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

vitium aliquod, aut nexum, cui ſunt adſtricti. Et poſtulatio eſt eius, qui communi iure eligi non poteſt, concors in Prælatum petitio: quæ eo differt ab electione, quòd electio ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus approbati fiat: poſtulatio verò ſimplici conteſtatione & petitione. *can. Oſius. 61. diſt.* Qui legitimis natalibus deſtituuntur, eligi non poſſunt. *cap. 7. cap. 25. tit. ſeq.* poſtulari poſſunt. *cap. 20. eod. tit.* Poſtulãtur hi qui nondum ſacros ordines ſunt adepti. *can. ſtatuimus. d. can. Ozius. can. epiſcopus. 61. diſt.* vel qui in ordinibus, aut ætate patiuntur defectum. *cap. 16. §. pen. de elect. in 6* Poſtulantur etiam qui ex diœceſi aliena ad epiſcopalis faſtigij gradum eliguntur. *can. litteras. 63. diſt.* Yuo Carnotenſis epiſcopus, *epiſt. 36. & 157.* inuitus enim epiſcopus clericum ſub ſe conſtiturum dimit-

non cogitur. *N.* 123. *cap.* 10.
ulantur denique, qui maiori-
nitatis apicem iam sunt ades
id est qui iam sunt Episcopi,
Archiepiscopi alterius diœce-
cap. 4. *& vlt. hoc tit.* Postulatio
em, sola eius nititur gratia, qui
n admittit, non iure commu-
cap. 3. *hoc tit.* ideo quoties ea
ncurrit cum electione, præ-
tur is qui eligitur; nisi duplo
ior sit pars eorum qui postu-
ioni assentiuntur. *cap.* 40. *tit.*
.& hanc cùm semel capitulum
misit, & superiori obtulit, non
cet ab ea recedere. *d. cap.* 4. *hic*
. Ius tamen nullum quæritur
ostulato antequam sit confir-
ata: & qui eum quid agere pas-
sunt, potestate eligendi priuan-
ur; & ipse etiam commodo qua-
cumque decidit. *cap.* 23. *tit. seq.*

De electione, & electi potestate. Tit. 6.

IVs electionis antiquum est in ecclesia: ideo & Impp. Leo & Anthemius *in l. 30. si quemquam. C. de episc. & cler.* id constituunt, vt quoties ad gradũ episcopatus quis prouehendus est, id fiat puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia. Vt autem legitima ea sit, & canonica; debet fieri coniunctis, & consentientibus omnium canonicorum votis, siue, vt ait d. l. 30. syncero omnium iudicio. Et ad eam celebrandam vocari debent omnes, qui de iure vel consuetudine id habent, vt interfint. *cap. 20. & 42.* Alioquin plus obest vnus qui contemptus est, quàm si is ipse præsens obsisteret. *cap. 34. & 36.* quod ex iure ciuili sumpsere pontifices, *in l. 17. item si vnus. §. fin. ff. de recept. arb.* Tum demum autem

omnes consensisse videntur, cùm maior pars capituli cõsensit: nam perinde habetur atque si omnes consenserint. *l. quod maior. ff. ad municip.* quod ita constitutum propter pronam hominum ad dissentiendum facultatem, ne res in se captionem haberet, & negotium sine exitu esset, si vniuersorum desideria in vnum non concurrerent. Maior verò pars habetur, non si plures consentiant minorum partium habita ratione, sed omnino necesse est eos qui constituere capituli maiorem partem. *cap.* 48. *&* 50. & in ea continetur is qui eligitur, si ipse consentiat. *cap.* 33. *l.* 4. *ff. quod cuiusque vniuers.* quod & continetur in aurea bulla Caroli 4. Romani Imp. quæ est de Imperatore eligendo. Requiritur deinde, vt qui eligunt, sint integræ opinionis, siue, vt ait Iustin. *N.* 123. vbi de abbate à monachis deli-

gendo loquitur,) καλλίονος ὑποψήφιος : alioqui electio facta à minore parte capituli valet, si ea sanior sit. *cap.* 23. *hoc tit. cap.* 2. *tit. superiori.* vt nec tamen aliter minor pars possit eligere, quàm electio quę primò facta est, irrita constituta fuerit. *cap.* 10. 36. nisi qui in prima electione vocem habuerunt, scientes prudentéſq; indignum elegerunt, quia ipso iure decidunt facultate eligendi, & eodem momento ea recurrit ad minorem partẽ cuius suffragia secũdam electionem legitimam cõstituunt. *cap.* 42. *&* 53. Debet verò electionis decretum in scriptis redigi, & eorum qui eligunt manu subscribi. *cap.* 20. *hoc tit. can. legum.* 2. *qu.* 1. *cap. qualiter. in fine.* 7. *qu.* 1. & tum scrutinio electionis publicato, suffragia conferuntur, vt is vincat quem maior pars capituli & ea magis integra comprobauerit: nec iam qui elege-

runt, ius habent mutandæ sententiæ. *cap.* 42. & 58. Interdum aliter fit electio: veluti cùm capitulum vni vel pluribus committit vices suas, vt hi nomine omnium eligant. *cap.* 8. 30. *hoc tit. cap.* 11. *inf. de renunt.* Est & electionis tertium genus, cùm nullo præmisso scrutinio, nec vllis constitutis qui sigillatim voluntatem singulorum exquirant, omnes vna voce & consensu aliquem eligunt. *d. cap.* 42. Solemne olim fuit, vt ordinationi episcopi accederet consensus populi. *can.* 1. 62. *dist. can. metropolitano. can cleri. dist.* 63. *N. Theod. de Episc. ordin.* Illud tamen prohibitum fuit concilio Sardicensi. *cap.* 2. *hoc tit.* & vetat etiam constitutio Caroli Magni *lib.* 7. *capitul. cap.* 61. & Martinus Papa *can. non licet. d.* 63. *dist.* Electioni itaque tractandæ interesse laicis omnino non licet. *cap.* 51. *cap.* 56. Patroni tamen vel

principis consensus requiritur, qui electionem comprobet. *cap.* 14. *cap.* 28. *hoc tit. cap. nobis. de iu. patron.* & ita obtinuit in hoc regno, vt docet ep. 8. & 54. Yuonis episcopi Carnotensis, epist. 173. Stephani Tornacensis, & Gregorius Turonēsis passim: & in Anglia quoque, vt apparet ex epist. Ioannis Saresberiensis 295. 297. 298. 299. Is est hoc iure postulationum, & electionum status, qui breuiter relatus est. At cùm fierent multa in hoc regno contra canonicas sanctiones, ita vt per ambitionem magnatum eligentibus ipsis libera non permitterentur suffragia: rebus ipsis ita quasi dictantibus, eò tandem res recidit, vt deberet supremus princeps pro ea potestate, quam summam habet, huic rei per se consulere. Ad eius itaque curam pertinet, personas idoneas summo Pontifici commendare, quas vē-

in ecclesijs cathedralibus, mo-
sterijs vel asceterijs regni sui
titui. vt constat ex conuentio-
ous habitis inter Leonem x.
mmum Pontificem & Francis-
m primum Francorum regem,
de elect. & postul. derog. τῶν τε
αξ ἐπομμνήσειν ἱκανῶς ἔχᾳ.
pereſt pars tituli altera, quæ est
electi potestate. Eius verò po-
tas nulla omnino est ante con-
mationem. *cap.* 9. *cap.* 17. *hoc tit.*
. 18. *inf. de præbendis.* Illud ex-
bitur, nisi rerum grauis necessi-
s vrgeat. *cap.* 44. Cùm autem
nel electio confirmata est, iam
re ius adeptus est. Ea etiam an-
consecrationem exsequi po-
t, quæ iurisdictionis sunt. *d. cap.*
& c. 15. *inf. hoc tit. cap.* 1. *tit. seq.*
uæ verò sunt ordinis episco-
is, non potest, cùm ea digni-
i pontificali cohæreant, quam
nè non videtur adeptus nisi
st consecrationem. *cap.* 38. §. 1.

De translatione episcopi.
Tit. 7.

CONsequenter duobus titulis superioribus, hic adiunctus est, de translatione episcopi, quia postulatione admissa, vel electione confirmata, necesse est vt is qui de diœcesi aliqua ad aliam vocatur, transeundi licentiam obtineat. Illud passim canonibus ecclesiæ olim probatum non est, vt ei qui semel ecclesiæ cuiuslibet constitutus esset episcopus, liceret recedere, & alterius ambire principatum. Id vetat nominatim Apostolorum canon 14. Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἑτέραν ἐπιποθεῖν. Prohibitum quoque idem fuit concilio Antiocheno. *can. episcopum. 7. quæst. 1.* & Sardicensi. *cap. 1. inf. de cler. non resid.* & qui despecta sede sua maioris digni-

tatis auet adipiſci faſtigium, vtraque carere iubetur, & propria quã deſpexit, & illa quam contra ius ambiuit. *can. ſi quis epiſcopus. 7. qu. 1. cap. pen. hoc tit.* Admiſſum tamen fuit vt cùm euidens ratio vtilitatis alicuius ſuaderet, probata cauſa apud ſynodũ prouinciæ, & decreto epiſcoporum interpoſito, poſſet epiſcopus ab vna eccleſia ad aliam transferri. *d. can. 14. & can. epiſcopus de loco. 7. qu. 1.* quod etiam conſtituitur lib. 1. capitul. Caroli Magni. *cap.* 137. Poſtea obtinuit, vt ſummi Pontificis autoritas intercederet; quo inconſulto non licet epiſcopo ad aliam diœceſim tranſire. *cap. 1. & 2. hoc tit.* ita vt nec legatus à latere, quantumcumque eius magna ſit poteſtas, id poſſit concedere. *cap. 3. inf. de offic. leg.* Quod tamen ei tandem conſtitutione ſpeciali eſt indultum. *cap. 36. de elect. in 6.*

Non ſolùm autem de minori ad maiorem dignitatem fit tranſlatio, ſed aliquando de pari ad parem. *cap. 4. ſup. de poſtul. prælat.* At cùm ſummus Pontifex licentiam dedit tranſeundi ad maiorem, non licet tranſire ad parem. *cap. vlt. hoc tit.* quamuis fortè illa maiores reditus & vberiores prouentus habeat, iuriſdictioníſque fines latiùs propagatos: acceſſiones enim illæ rei qualitatem non mutant. Vt autem non licet epiſcopis proprias diœceſes dimittere ſua autoritate, & in alias inſilire; ita nec Clericis ipſis eccleſias ſuas iniuſſu epiſcopi. *can. ſi quis presbyter. 7. quæſt. 1.* Iuſtinianus *N. 3.* eiuſmodi deceſſiones & mutationes oriri ait ex malo deſiderio, κέρδους π καὶ ἐμπορείας ἕνεκεν ἀπόδειξιν· ideóque prohibet ne fiant. Idem etiam *N. 5. & 123.* cauet de monachis, ne eis priora monaſteria, in quibus

bus inſtituti ſunt, liceat deſerere, & ad alia tranſmigrare: quod ius iſtud ſubſequitur, niſi cùm propoſitũ diſtrictioris vitæ amplectuntur, & deſiderant ſeueriori regulæ ſe ſubiicere: hoc enim caſu fit tranſeundi copia. *c.* 18. *inf. de regul. & tranſ. ad relig. can. fin.* 19. *quæſt.* 2.

De authoritate & vſu Pallij. Tit. 8.

FActa tranſlatione, fit interdum vt qui Epiſcopus erat, ſit deinde Archiepiſcopus: non tamen ea quæ ſunt iuris metropolitani poteſt attingere, antequam pallij honorem receperit à ſummo pontifice. *cap.* 28. §. *pen. ſup. de elect. can.* 1. *diſt.* 100. Per pallium conceditur plenitudo pontificalis officij. *cap.* 3. *hoc tit. cap.* 23. *Inf. de priuileg.* Pallio vtũtur Metropolitani ſiue Archiepiſcopi,

lib. 6. capitul. Caroli magni, cap. 39. non Episcopi, nõ inferiores prælati: Inde Guillelmus Neubrigensis, in procœmio historiæ Anglicanæ: *Primus Augustinus accepto à Romano Pontifice pallio Archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ verò nationes Europæ etiam olim ad fidem Christi conuersæ contentæ episcopis, de pallij prærogatiua non curabant:* & vtuntur intra diœcesim suam, non extrà. *cap. 1. hoc tit. ca. 9. tit. seq.* neque semper, sed statis solemnibúsque diebus, prout ex priuilegiis ecclesiarum obtinet. *cap. 4. & fin. hoc tit. can. porro. de consecr. dist. 1.* Vtuntur etiam in consecratione suffraganeorum suorum, vt docet Yuo *epist. 50.* Cõceditur autem pallium à summo Pontifice, vel etiam à primatibus, siue Patriarchis, provt quique metropolitanorũ ijs subsunt. *d. cap. 23.* & conceditur personæ, sed tamen ratione ecclesiæ; &

Digitized by Google

o ei qui transfertur ab vna
tropoli ad aliam metropolim,
nuo ad nomen & vsum secun-
eccleſiæ pallium datur. *cap.*
in fine. ſup. de poſtul. prælat.
âs perſonam eius omnino
mitatur, cui indultum eſt, &
m eo ſepelitur. *cap.* 1. *hoc tit.* In
ore fuit olim poſitum, vt non-
ſi præſenti, & ad Romanam
cleſiam accedenti concedere-
r : vt docet eiuſdem Yuonis
iſt. 250. & dictus auctor *de reb.*
ngl. lib. 1. *cap. vlt.* Poſtea obti-
uit vt illud ſummus pontifex vl-
ò mitteret. *d. cap.* 4. *de poſt. præ-*
t. & cap. 4. *ſup. de elect.* & ali-
uando per legatum à latere. *cap.*
. inf. de ſimonia.

De Renuntiatione. Tit. 9.

HIc titulus eſt de Renuntia-
tione, qua quilibet ius bene-
cij ſui à ſe abalienauit: quæ cùm

admiſſa eſt ſemel, non poteſt is qui renuntiauit illud repetere. *can. quàm periculoſum. 7. quæſt. 1. cap. 3. & 6. hoc tit.* nam remittentibus ius ſuum ad id non datur regreſſus. Datur interdum, ſi noua cauſa ſubſit, ſi ad eam dignitatem vel beneficium, quod quis abiurauit, denuò eligatur. *cap.* 2. & 11. Vt autem reſignatio valeat, debet habere liberum & ſpontaneum renuntiãtis arbitrium: nam quæ aduerſa voluntate facta eſt; cùm iudicium non habuerit, ea non nocet. Ea ratione non nocet ipſe ſibi, qui litteris ad beneficium impetratis, eo poſtmodũ obtento, dum eius patitur aliquam controuerſiam, gratiæ ſe capituli ſubiecit; neque enim beneficio quod obtinebat, renuntiare videtur. *cap.* 7. 13. iniquum enim fuerit eum decipi ab his quorum fidei ſe commiſit, & de quibus melius præſumpſit. *l.* 67.

Digitized by Goo

um. §. vlt. ff. de leg. 2. cap. 16. &
inf. de iureiur. Habita fides, vt
quit Liuius, ipſam obligat fi-
m. At qui pactione inita ſe ali-
id vel facturum, vel probatu-
m promiſit, ſub periculo bene-
cij ſui; rectè ſi deficiat, eo mul-
atur: quia hanc legem ſibi di-
t, quæ pro renuntiatione eſt.
p. 32. ſup. de elect. cap. fin. inf. de
lſis. Debet verò renuntiationi
ccedere conſenſus ſuperioris, vt
eius manibus fiat: nec enim
oteſt quis propria authoritate
enuntiare. *cap. 4. & fin.* Non po-
eſt idem beneficium reſignari in
anus laici. *cap. 8.* niſi fortè Pa-
ronus ſit. *can. Gonſaldus. 17. quæſt.*
.Renuntiatio facilè non admitti-
ur in maioris gradus & dignita-
s Clericis, putà epiſcopis, ab-
atibus, & aliis, niſi cauſa co-
nita, ne munus ſibi aſſignatum
efugere videantur. *cap. 1. & 10.*
u cauſæ cognitione vt plurimùm

hæc verſantur: ſi qui abdicare ſe dignitate deſiderat, aduerſam valetudinem, vel ætatis ſeniũ, quod oneribus pontificiæ ſollicitudinis par non eſt, prætendat. Non omnis ſenectus in cauſa eſt, vt honorem quis dimittat. *d. cap.* 1. *plerumque enim*, vt ait Valer. Max. lib. 8. *ſeneſcentibus membris, eruditorum animus induſtriæ beneficio, intus florem iuuentæ retinet.* Sunt & cauſæ aliæ quæ referuntur particulatim *in d. cap.* 10.

De ſupplenda negligentia Prælatorum. Tit. 10.

INiquum eſt quorundam negligentiam vel moratoriam cunctationem damno eſſe ceteris. Neceſſe eſt igitur vt prælatorum quiſque, provt maiori, & honoratiori loco cõſtitutus eſt, ſupplere vel corrigere eam incuriam debeat. *cap.* 7. *inf. de offic. iud. ordin.*

Digitized by Google

clericis cathedralis eccleſiæ
ſtituti fuere tres menſes, in-
quos, ſi electionem non cele-
ſſent, ius ad ſuperiorem de-
ueretur. *cap.* 41. *ſup. de elect.*
ic rei Iuſtinianus ſpatium ſex
nſium præfinierat, ſi nullum
lericis electionis ψήφισμα ſi-
decretum factum eſſet, Me-
politanus ex animi ſui ſenten-
, quem huic muneri parem ar-
raretur, præficeret. N. 123.
pr. Præſtituuntur etiam ſex
enſes prælato, vel capitulo, vt
neficium vel præbendam va-
ntem, ad ius eorum pertinen-
m, conferant: quibus elapſis
teſtatem conferendi amittant.
2. *inf. de conceſſ. præb.* & eo ca-
, tempore ſemel tranſacto mo-
m purgare non poſſunt, etiam
ſuperior ſtatim iure ſuo non
atur. *cap.* 3. 4. *& vlt. hoc tit.*
lem obtinet in patronis eccle-
aſticis, vt ſi intra ſex menſes per-

ſonam idoneam non præſentauerint, poſſit ſuo iure epiſcopus inſtituere, quẽ velit. *cap. 2. hoc tit. cap. vn. de iu. patr. in 6.* Patronis laicis ſpatium tantùm quatuor menſium conceſſum eſt. *d. cap. vn. & cap. 3. cap. 27. inf. eod.* Regi verò Franciæ, cuius prærogatiua ſumma eſt, ex pactis conuentis inter Leonem x. ſummum Pontificem & Franciſcum primum, tanquam patrono eccleſiaſtico dati sũt ſex menſes, intra quos ei ius ſit ſummo Pontifici deſignãdi quem ex animi ſui ſententia deſideret in Abbatem, vel epiſcopum conſtitui. Quamuis titulus hic inſcriptus ſit de ſupplenda negligentia prælatorum, eſt tamen generalis de ſupplenda etiam aliorum negligentia.

temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum.

Tit. II.

Tatis temporibus, diebúsque solennibus presbyteros ordire, diaconos, vel subdiaconos, sacros ordines cõcedere solet clesia: nimirũ in ieiunijs quaor temporum, in sabbato sano, & illo quod Dominicam pasonis præcedit, quódque diem ntecostes sequitur. *cap.* 1. & 3. xtra hæc tépora non licet epiopis sacrum characterem conrre: qui si cõtrà fecerint, ipsi iue ordinandi priuãtur, & qui ornes recepit prohibetur in his iniſtrare, nisi summus Pontix benignè cum eo dispẽsauerit. *p.* 2. 8. & *pen.* Non licet etiam piscopis, duos ex maioribus vno ie cõcedere. *cap.* 13. 15. In minobus non tanta obseruatio est:

hos enim potest episcopus dare diebus dominicis, & quibuslibet alijs festiuis diebus. *d. cap.* 1. & 3. Possunt etiam vno die omnes ab episcopo conferri: Potest episcopus vno die aliquos promouere in ostiarios, lectores, exorcistas, acolythos: quod non obtinuit olim, nec nisi longo interstitio, quemadmodum maiores, conferebantur, vt docent Capitularia Caroli Magni *lib.* 7. *cap.* 17. *& can. in singulis. & can. fin.* 77. *dist.* Minores etiam interdum cõferunt prælati inferiores ab episcopo. *cap.* 1. *inf. de ordin. ab eo qui renunt. episc. cap.* 11. *de æt. & qual. ordin. cap.* 3. *de priuileg. in* 6. Subdiaconatus olim inter minores ordines recensebatur, hodie maioribus adscribitur. *cap.* 9. j. *de æt. & qual. ordin. cap. pen.* j. *de seru. non ordin.* Ordinantur Clerici ab episcopis suis tantùm, non ab alienis, Apostolorum *can.* 35. *can.*

1. *dist.* Possunt tamen ab alie-
, permissu & licentia eorum
bus subsunt. *cap.* 11. *hoc tit.*
n potest etiam monachus vel
gularis quilibet, sine consensu
batis vel superioris ad ordines
omoueri. *cap.* 5. *hoc tit.* alioquin
iscopus punitur, & monachus
ncessi gradus prærogatiua
n fruitur. *cap. fin.* 58. *dist.* Quod
l eorum qualitatem attinet, qui
esiderant in clerum allegi, in
mma tenendum, repelli eos
ui laborant facti aliqua, vel iu-
is infamia, qui artes ludicras,
ui improbum fœnus exercue-
int, omnes denique quos præ-
or edicto de his qui notantur
nfamia comprehendit, à sacris
ltatibus leges canonicæ amo-
ient, quia hi non possunt sine
graui scandalo in aliqua cleri
parte consistere. Sunt & alij quos
canones repellunt, nec tamen
eos in iure ciuili vt infames præ-

tor habet, de quibus tituli ſpeciales infrà.

De ſcrutinio in ordine faciendo. Tit. 12.

ALiud polliceri videtur hic titulus, aliud præſtare quæ in eo tractantur: nam rubrica promittit modum ſcrutinij faciendi; caput verò vnicum, quod ei ſubiectum eſt, hoc tantùm vult, eum dolo vacare & culpæ omnis exortem eſſe, qui interrogatus an is qui promouendus eſt ad ſacros ordines, dignus ſit; reſpondit dignum eſſe, cùm eum indignum eſſe pro cõperto non haberet. At interrogationes illas, Pontifices ſcrutinia vocare, par eſt credere: quia qui adſunt, interrogantur ab eo qui præeſt, & ipſi inuicem reſpondent, quid de eo ſentiant qui diaconus vel preſbyter fieri deſiderat. Aliud

crutinij genus est quod olim
btinuit in electionibus faciẽdis,
t ex capitulo quidam constitue-
entur, qui seorsim voces eligen-
um scrutarentur; de quo est *cap.*
2. s̃. *de elect.* Aliud item quod fit
n baptismate, *cap.* 11. j̃. *de maioro*
& obed. cap. 2. j̃. *de capellis mon. &*
lib. 5. *Capitul. Car. ma. cap.* 20.

De ordinatis ab eo qui renuntiauit episcopatui. Tit. 13.

INter titulos quibus de statu
eorum agitur qui cooptantur
n clerum, interserit Gregorius
unc titulum, quo etiam agitur
e persona eius qui sacros ordi-
es confert: vt doceat eum qui se
piscopatu abdicauit, frustra cõ-
erre, & eum qui accepit, non
abere collati ordinis exsecutio-
em: quod accipitur de eo epi-
copo qui loco simul & dignitati
enuntiauit; non de eo, qui loco

tantùm. Poteſt quis oneri pontificali reñuntiare; & honorem epiſcopi penes ſe retinere. *can. ſi quis ordinatus. cum ſeq. diſt. 92. cap. 2. §. ſicut. ſup. de tranſlat. epiſc.* Ita à principe dignitates interdum conceduntur ſine adminiſtratione, quæ Caſſiodoro dicuntur quietæ dignitates, & otioſa cingula. *lib. 6. var. formular.* 10. 11. 12. Dicuntur etiam honorariæ *l. 2. C. vt dignit. ordo ſeru. lib.* 12. & N. 70. Honorarij quoque codicilli ſunt, quibus eas dignitates princeps indulget. *l. vn. C. Th. de oblat. equorum.* Eóque ſenſu in *l.* 24. *C. de ſacroſ. eccleſ.* ἔμπροσωπος ἀρχων dicitur, πρὸς ὄμοιωσιν eius, qui nomine tenus honorem gerit. Is igitur pontifex, qui dignitatem epiſcopi retinet, licet ſine re, ordines etiam maiores confert vtiliter vice alterius epiſcopi, rogatus ab eo. *cap. 1. hoc tit.*

Digitized by Google

e ætate & qualitate & ordine Præficiendorum.

Tit. 14.

Titulus 11. ſup. fuit de his qui ad ordines promouentur: c eſt de his, qui eccleſijs, vel gnitatibus, præficiuntur, vt tatis ſint legitimæ, & vt ordines ıbeant pro eius beneficij qualite, ad quod admittuntur. In iſcopis & preſbyteris, olim id ſeruatum, vt ante triceſimum ıintum ætatis annum non intuerentur, diaconi vel ſubdiaoni ante viceſimum quintum. . 123. *cap.* 1. & 13. Vltra id heophilus Græcus Inſtitutiım paraphraſtes *tit. de in. nat. st. & cin.* tradit conſtitutum, ἱ περὶ τ παγανικοῦ ἐνιαυτ, ωσωὶς ὀπλάβεσθαι ζυνὰ, quod : ſacerdotibus paganorum acpi debet, quia nulla eccleſiæ

conſtitutio hac de re prodiit. Concilium Lateranenſe, quod habitum eſt ſub Alexandro tertio in Epiſcopo ætatem triginta annorum deſiderat, in ceteris ab eo, viginti quinque. *cap. 7. ſup. de elect.* Ætas 25. annorum perfecta eſt, & legitima, & qui eam attigerunt, τέλειοι dicuntur ab Harmenopulo, Euſtathio, Theophilo & alijs Græcis Iuriſconſultis. In epiſcopo tamen requiritur magis perfecta, propter gradus auctoritatem. Qui autem perſonatum aliquem, vel dignitatem habent, debent omnino in ſacris ordinibus eſſe conſtituti: vt qui Archidiaconi ſunt, ſint diaconi: qui Archipreſbyteri, vel regimẽ eccleſiæ parochialis ſunt adepti, in preſbyterum ſint ordinati; aut intra breue tempus ad ſacros ordines accedant. *d. cap. 7. §. inferiora. ſup. de elect. cap. 1. & 5. hoc tit.* Cui rei anni ſpatium definitum

im eſt concilio Lugdunenſi.
14. *de elect. in* 6. At fauore ſtu-
rum tempus anni illius pro-
gatur ad ſeptennium, ne intra
pus illud qui eccleſiæ paro-
alis curam adeptus eſt, coga-
in preſbyterum ordinari: ita
nen vt ſaltem ſubdiaconi or-
nem conſequatur. *cap.* 34. *eod.*
& lib. Qui in epiſcopũ eligi-
r, omnimodo debet eſſe in ſa-
is ordinibus eo momento, quo
ctio celebratur. *cap.* 9. *hoc tit.*

De ſacra vnctione. Tit. 14.

DAta occaſione, titulo ſupe-
riori (quo de his tractatum,
iibus cura eccleſiarum com-
ittitur, & maximè de preſbyte-
s & epiſcopis) adiectus hic eſt,
ſacra vnctione, qua preſbyteri
l epiſcopi conſecrantur. Con-
cratio preſbyterorum aliter fit
uàm epiſcoporum: Hi conſe-

Digitized by Google

crantur oleo tãtùm. *can. præterea.* 23. *dist.* Episcopi chrismate, quod ex oleo sit & balsamo. Rursus horum manus vngũtur tantùm; illorum manus, & caput: illæ (vt inquit Innocentius, *cap. vn. hoc tit.*) propter ministerium & officium; hoc propter auctoritatem & dignitatem. Aliter Iustin. & eleganter tamen, *in l. vlt.* C. *de episc. audient.* Ἐν ταῖς τῶν ὁσιοκόπων χροσονίαις, καὶ ταῖς αὐτῶν κεφαλαῖς, καὶ ταῖς χερσὶν ὁπλίζεται τὰ ἁγιώτατα τῶν μυστηίων, ὅπως αὐτοῖς τὰ ἁγιαστήρια πάντα καταστήσῃ τοῖς, καὶ καθιερωθείη θεῷ. Est verò titulus hic de alijs etiam vnctionibus quas ecclesia recipit: ἁγιαστέρω ἐν τύποις ἐνδιατείβῃ ὁ θέμις.

De ſacramentis non iterandis.
Tit. 16.

TItulum qui præcedit, rectè quoque ſequitur titulus hic, qui docet ſacramenta iterari non debere: quod tamen de omnibus non accipitur. Diuorum Apoſtolorum *can.* 68. prohibitum eſt, ne cuiuſlibet gradus clericus δὐτέρεαν χροτονίαν accipiat; præter quàm ſi qui ab hæreticis ordinati fuiſſent, & ad eccleſiam orthodoxam redirent: hos enim denuò ordinari ſine periculo eſt, quia non habent ordinis exſecutionem. Et refert, vtrum quis vitioſè, id eſt ab hæreticis ordinatus ſit, an aliquid ordinationi ex iuris ſolennibus deſit. Primo caſu, cùm non ualeat quod actum eſt, iterari debet & de nouo fieri, *can. Daibertum.* 1. *qu.* 7. Secundo, quod deeſt ex iuris ſolennitate,

Digitized by Google

ſuppletur. *cap. vn. in princip. tit. ſuperiore, cap. 1. & vlt. hoc tit.* Obtinuit ſimiliter baptiſmum non iterari ijſdem canonibus Apoſtolorum, *can. 47. l. 1. & vlt. toto tit. C. ne ſanctum bap. reit.* ita vt nec ab hæreticis baptizati cùm ad orthodoxos redirent, baptizarentur denuo: & quod eſt in *d. can.* 47. de his qui ab hæreticis baptiſati sũt, vt rebaptiſentur, magnus legum interpres *ad dictum tit. Cod. ne ſanct. bapt. reit.* accipit de his hæreticis, qui in Trinitate non baptizabant; quod confirmatur *can. hi verò. can. de Arrianis. de conſecrat. diſt. 4. & cap. 319. lib. 7. capit. Caroli Magni.* Eadem ratione, inualuit tandem, ne ab hæreticis ordinati ordinarentur denuò, ſed his tantùm manus imponerẽtur. *can. quod quidam. 1. qu. 1. can. etſi illa. § ſed illud. eadem cauſa. qu. 7.* At ſi dubium ſit an aliquid factum ſit, veluti an eccleſia ſit conſecra-

a, an aliquis baptiſmalibus aquis ſit dilutus; ſine vlla religionis offenſa poteſt vel eccleſia conſecrari, vel beneficium baptiſmatis impendi, quia illud dici non poteſt iteratum quod neſcitur eſſe actum. *can. ſolemnitates. de conſecrat. diſt. 1. can. placuit. diſt. 4. eod.* Valet ea conſecratio vel baptiſmus ad cautelam. *can. presbyteri. §. fin. 68. diſt.* ὅτι πάσης ἐξουσίας, ὅτι πάσης φυλακῆς, καὶ ὀλιγωρίας. ideóque non niſi conditione adiecta id fieri ſolet. *cap. 2. inf. de baptiſmo. cap.* 181. *lib. 6. capit. Caroli Magni.* Cùm autem in verbis, quibus baptiſma confertur, imperitia, nõ ex affectu prauo peccatum eſt, non iteratur; quia vtriuſque, & ſuſcipientis & conferentis, prona ad bonum voluntas, huic errori præbet ſupplementum. *can. ſi non ſanctificetur. can. retulerunt. de conſecr. diſt. 4.*

De filijs Presbyterorum ordinandis vel non. Tit.17.

SVperioribus titulis ſummatim & in genere de qualitate ordinandorum & præficiẽdorum tractatum eſt: Id verò per ſpecies exſequitur Gregorius Pontifex: ac primùm de filijs preſbyterorũ, ne ordinẽtur. Verum eſt, paterno vitio prolem innocẽtem grauari non debere, *l. 4. C. de legit. hered.* neque impediendam dignitatem eius, qui nihil admiſit, vt loquitur Papinianus de minus legitimè nato, *in l. 6. ff. de decur.* Obtinuit nihilominus tamen, filios natos ex illegitimo vel damnato concubitu, ad ſacros ordines non promoueri. *cap. 5. tit. ſeq. cap. 13. in fi. inf. qui fil. ſint legit.* nec dignitatem in eccleſia vllam obtinere. *cap. 7. ſup. de elect.* quia nimirũ in his exempla paterni criminis metuerẽtur.

Digitized by Google

Tales fuere ſemper preſbyterorum filij. *cap.* 14. *inf. de purg. canon.* quos Iuſtin. *in l.* 45. τῶν ἱερέων. *C. de epiſc. & cler.* vocat παιδοτρόφους ἀπυροβολήτους. Inualuit poſtea, vt ex diſpenſatione ſummi Pontificis poſſent ordinari. *cap. vlt. hoc tit. cap. inf. de corp. vit. ord. vel non.* & diſtrictè tamen inhibitum, ne omnino ad patrum beneficia admitterentur, eáque tanquam hereditatis iura vendicarent. *cap.* 2. *Et* 3. *hoc tit. cap.* 15. *inf. de iure patron.* Idem etiam prohibitum fuerat conſtitutionibus diuorum Apoſtolorum, cùm ſacerdotum coniugia legitima erant. *can.* 67. D. Hieronymus in can. Moyſes 8. qu. 1. *principatus eccleſiæ, non ſanguini deferendus eſt, ſed vitæ & meritis.* & Galba apud Tacitum lib. 17. annal. *Succeſſor in re publica potius quærendus eſt, quàm in domo propria.* Hoc autem cùm neglectum eſſet, rur-

ſus fuit prohibitum concilio Pictauienſi. *cap.* 1. *inf. de prebendis.* quod coniungēdum eſt cum *cap.* 1. *hoc tit.* Arnulphus Lexouienſis epiſcopus epiſt. ad legatos Albertum & Theodinum: *Non expedit prouinciæ noſtræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitiæ conualeſcit, filios presbyterorum paternis altaribus adhiberi.*

De ſeruis non ordinandis & eorum manumiſſione. Tit. 18.

CApitale ſeruo fuit olim pati ſe in militem allegi. *l.* 11. *ab omni. ff. de re mil.* Virgil. Æn. 9.

primæuus Helenor,
Mæonio regi quem ſerua Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis.

Moris etiam fuit, eos qui ſcientes militiæ nomen dediſſent, è ſaxo Tarpeio deijci, vt Xiphilinus

autor eſt *in Auguſto*. quin is ipſe qui de libertate ſua litigat, ſi ante ſententiam datam in numeros ſe referri curauerit, exauctoratus è caſtris eijcitur, *l.* 29. *qui de libert. ff. de lib. cauſa*. Idem obtinuit ab ipſis eccleſiæ incunabulis, ne qui ſeruili conditioni adſtricti eſſent, in ordinem clericorum reciperentur, vt conſtat ex canonibus Apoſtolorum *can.* 82. & ex capitularibus Caroli Magni, *lib.* 1. *cap.* 57. & 88. & *lib.* 7. *cap.* 34. Ratio redditur *in d. can.* 82. ὅτι τὸ πλῆθος οἰκίαν ἐργάζεται, ſubductis nimirum domino miniſterijs alioqui neceſſarijs, veluti actoribus quibus mandatur cura totius familiæ, & eius ſecreta & intima nouerunt, vt Zonaras. Græcus interpres exponit ibi. Iidem ſunt qui diſpenſatores & σωματικοὶ dicuntur *in l.* 35. *Gaij.* & *l.* 41. *Thais. §. ſorore. ff. de fideicom. libert.* Horum ſeruorum ratio ſumma

eſt, vt damnum datum in his non tantùm ſubſtantiam imminuat, ſed ad totius domus euerſionem pertineat. *l. vlt. ff. de offic. præſid.* Eſt & alia ratio, quæ etiam mediaſtinos, & inferioris conditionis ſeruos ſpectat: ne videlicet occaſio eſſet qua ſerui furtum ſui facerẽt, & dominis ſe eriperent. Igitur domino conſentiente vel ſciente, nec reclamãte ordinari poſsũt. *N.* 123. *cap.* 17. *cap.* 1. *hoc tit.* vt & militare poſsũt etiam *l. pen. C. qui mil. poſſ. lib.* 12. *Inſt. N.* 81. εἰ τις οἰκέτης εἰδότος τοῦ κεκτημένου ἀξιωθῇ στρατείας, εἰς αὐτὸν παραπέμπεται τὸν δεσπότην. In multis ἀλλήλοις inter ſe ſunt clerici, & milites ſæculi: quódque in his leges ciuiles admittunt, illud idem in illis ferè ſemper canones eccleſiæ recipiunt. Seruis autem proximi ſunt illi in quos patronus ius aliquod retinet: ne occaſione operarum, & obſequij quod manumiſſori

debetur, lædatur ecclesia, *can.quicumque.can.vlt.dist.*54. Illi nec militant iure. *l.*45.*ff.de oper.libert.* At si patronus passus sit libertum ad gradus ecclesiasticos accedere, remisisse ius suum videtur, nec vltrà poterit operas exigere, cùm in officio ecclesiæ iam esse debeat. *arg.l.*48.*ff. eodem tit.* Eadem ratione qui curiæ vel alij conditioni obnoxius est, promoueri non potest. *can.præcipimus.*34.*dist. can. non confidat.*50. *dist.* nisi dato substituto qui curialis onera ferat. *l.*21.*ad similitudinem.C.de epis. & cler.* Cohortales siue ταξεώτας, id est præsidum apparitores, Cæsarianos, Catholicianos, qui tributorum imminent exactioni, & eiusmodi ceteros, alia ratio prohibet clericos fieri: quòd indecorum sit, (vt Iustinianus loquitur, *l.*52. Διατάζομεν C. *eod.tit.*) τοὺς ἀπεθραμμένους εἰσπράξεσι σφοδραῖς, καὶ τοῖς διὰ τοῦτο ὑπομεμβαί-

γεσιν ἀμφοτέμαιον, οὗτος ἰδίας προσονείας. Quod adiicitur hoc titulo, de manumissione seruorũ, est de seruis, qui sunt in dominio ecclesiæ, quorúmque ipsa patrona est: vt in ipsos ecclesia habeat ius successionis, néue qui ab ea sunt manumissi, possint eam dimittere, aut ab eius obsequio se subtrahere. *cap.* 3. 6. Hi itaque non plenam libertatem consequuntur, sed vmbram, & imaginem libertatis, qualem Latini olim, & dedititij ex lege Iulia Norbana, & Ælia Sentia, *apud Vlp. in fragmentis, Caium tit. de libertat. seru. & Instit. tit. de libertinis, apud Iustin.*

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. Tit. 19.

ILlos quoque qui rationes publicas, vel pupillorum tractarunt, vetitum est sacris altaribus

miniſtrare, ſi ſint ἀπεκλόγιμοι adhuc & ἀπεξέτασοι (vt IC. loquuntur) aut non ex fide tutelam vel curam adminiſtrauerint. *cap. vn. hoc tit. l. 4. C. de epiſc. & cler.* Ita, debitores ciuitatum ad honores non inuitantur antequam reipub. ſatisfecerint. *l. 6. §. debitores. ff. de muner. & honor. l. 1. C. de debit. ciuit. lib.* 11. Tutores etiam & curatores calculo adminiſtrationis nõ ſubducto, nec exſoluto eo quod reliquati ſunt, vetantur ad conductionem rerum fiſcalium accedere. *l. 49. οἱ ἐπίτροποι. ff. locati.* Id autem ita in eccleſia inductum, vt eius ſecuritati conſuleretur; ne negotium pateretur omnino. Eſt & ea ratio, ne is qui ad ſacros ordines accedit, deteriorem creditorum conditionem faceret, dum ſe pretioſiorem facit: nam nec ius ciuile patitur aliquem militiæ ſe dare litis cauſa. *l. 4. §. non*

omnis. ff. de milit. l. 1. C. eod. & vt non oportet calumniæ facultatem ex regis vel principis maiestate capi, l. pen. ff. de hered. instit. ita nec obtentu ministerij ecclesiastici licet cuiquam iniuriam inferre, aut ius alienum minuere.

De corpore vitiatis ordinandis vel non. Tit. 20.

LEx Moisis *Leuit. cap.* 21. eos à sacerdotio repellit, qui aliqua corporis parte mutili essent, & oblæsi. πᾶς ἄνθρωπος, ὦ ἂν ᾖ ἐν αὐτῷ μῶμος, ὃν ἐγὼ ἐπιθεῖναι τὰς θυσίας τῷ θεῷ, οὐδὲ προσελεύσεται προσφέρειν δῶρα τῷ θεῷ αὐτοῦ. Prohibitum etiam fuit legibus Romanis, ne liceret auguribus auspicia captare, quorum corpus vulneris alicuius tabe laboraret, vt testatur Plut. *in qu. rom.* & maxime de sacerdote præ-

ficiendo. Sic Seneca *contr.* 2. *lib.* 4. Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt: hoc in victimis notat, quanto magis in ſacerdotibus? Id etiam prohibuit eccleſia, ſed cum temperamento. Conſtitutiones apoſtolorum *can.* 76. *&* 77. iubent cum à clero arceri qui ita adfectus eſt, vt muneribus ſacerdotis defungi non poſſit, ſi videlicet ſurdus aut cæcus ſit: eum verò qui aut claudus, aut vno tantùm oculo orbatus ſit, ſi aliâs dignus ſit, non repelli: & hoc etiam tit. id conſtituitur, vt cum his qui leui aliquo corporis vitio laborant, diſpenſetur. *cap.* 1. 2. *& vlt.* cum aliis non item, *cap. pen.* Qui autem ſibi vim intulerunt, ἑαυτὸς ἀκρωτηριάσαντες, ijſdem canonibus Apoſtolorum, *can.* 21. *& tribus ſeq.* ad clerum accedere prohibentur. Excipiũtur ibidẽ, qui id paſſi ſunt ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων, ἢ ἐν διω-

χμῷ. Excepit etiam Nicena ſynodus eos, quos propter morbum medici exſecuerint. *can. ſi quis à medicis. 55. diſt.* quod & cauetur *cap. 5. hoc tit.* de eo qui elephantia ſiue lepra laborabat: hunc morbum ea curari ratione etiam auctor eſt maximus Iuriſconſultus *lib. 17. obſeruat. cap. 24.*

De Bigamis non ordinandis.
Tit. 21.

VEtitum quoque eſt, ne qui ſecundam vxorem ſortitus ſit, clero adſcribatur: ne is etiam qui viduæ conſortium elegit. *cap. 1. & 2. hoc tit. cap. 33. inf. de teſtibus.* alioquin epiſcopus qui ſciens eiuſmodi hominem ad ſacros ordines allegit, gradu ſuo deijcitur. *can. ex pœnitentibus. 50. diſt.* Ea quæ deſponſata fuit, quæque ἐυλογίαν ſiue benedictionem accepit cum ſponſo,

ſponſo, morte ſponſi accedente, vxor eſt nihilominus: quia matrimonium conſenſus, non concubitus facit. Quantum tamen ad hanc cauſam pertinet, qui eam poſtmodum duxerit, bigamus non eſt, nec prohibetur ea defuncta clericus fieri, *can. vlt. 34. diſt. cap. 5. hoc tit.* Qui autem vnius vxoris vir fuit, & ad ſacros ordines promotus eſt; ſi poſtea de facto contraxerit, licet bigamus non ſit, quia nuptiæ non conſiſtunt: cum eo tamen propter prauæ intentionis affectum, tanquam cum bigamo diſpenſari non poteſt. *cap. 4. & vlt.* Hoc caſu igitur non tam iuris effectus, quàm animi deſtinatio inſpicitur: vt in ſpecie omnimodo non diſſimili Impp. conſtituunt *in l. 8. C. ad leg. Iul. de adul.*

De cleris peregrinis. Tit. 22.

AD tractatum ordinandorum superest hic titulus, de clericis peregrinis: an possint qui minores iam adepti sunt, in diœcesi aliena maiores adipisci, vel in susceptis ministrare. Constitit illud pridem, clericos vel monachos qui de suis ciuitatibus proficiscuntur quacunque de causa, litteris Episcoporum debere muniri, neque aliás recipi posse ab extraneis episcopis. *l.* 22. *C. de episc. & cler.* Hæ litteræ in canonibus Apostolorum, *can.* 12. & 32. & in synodis habitis in Græcia dicuntur γράμματα συστατικά. Ita vocantur quia conciliant eius animum ad quem scribuntur. Eo sensu diuus Paulus *epist.* 2. *ad Cor. cap.* 3. ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνειν, εἰ μὴ χρήζομεν, ὡς τινες συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συστατικῶν. Latinis commendati-

tiæ ſunt. *can. eccleſiis. in fi.* 68. *diſt. can.* 71. *diſt. cap.* 5. *j. de cler. non reſid.* Dicuntur etiam formatæ & dimiſſoriæ. *can. vlt. eadem diſt. & in cap.* 99. *in addit.* 4. *ad capit. Caroli Magni.* Eius generis ſunt quæ εἰρηνικαὶ dicuntur. *can.* 7. & 8. *ſynodi Antiochenæ.* Has tamẽ à commendatitiis aliqua ratione ſeparat magnus doctor Cuiacius, *ad N.* 6. Vt autem commendatitiæ hæ litteræ fidem faciant; ſi ab his, qui peregre vltra mare profecti ſunt, proferantur, debent habere quinque epiſcoporũ ſubſcriptionem. *can. nullus.* 98. *diſt. cap.* 1. *hoc tit.* & qui litteris eiuſmodi carent, omnimodo prohibentur ad maiores ordines accedere, vel in his quos ſuſcepiſſe ſe dicunt, miniſtrare. *can. extraneo.* 71. *diſt. cap.* 2. *hoc tit.*

De officio Archidiaconi. Tit. 23.

DE eorum munere & officio, qui dignitatem in ecclesia, vel personatum habent, Gregorius tractaturus, seruata ordinis ratione, incipit ab hoc titulo, qui est de officio Archidiaconi: quia ille post Episcopum potiorem dignitatem obtinet: & inde oculus episcopi, & vicarius vocatur. *cap. 1. & 7. hoc tit.* ideóque N. Leonis & Maioriani *de Curialibus*: & N. *de episc. Iud.* atque etiam N. Iustiniani 123. *ca.* 3. eius potissimùm fit mentio, vtpote qui primas post Episcopum teneat. Qui prius vices episcoporum agebant, dicti sunt Chorepiscopi: sed hi propter insolentiam, quòd omnem sibi eorum potestatem vindicarent, sublati tandem fuerunt. *can. Chorepiscopi.* 68. *dist. cap.* 119. *lib.* 6.

capit. Caroli Magni, & cap. 310. 328. 329. *lib.* 7. In horum dignitatem ſucceſſerunt Archidiaconi. Ad eorum officium pertinet ſuſpẽdere, ſacris interdicere, viſitare, *cap.* 54. *de elect.* Ideo viſitatores dicũtur *in can. non debere.* 80. *diſt.* & hi etiam ſunt, qui περιοδευται vocantur, *in l.* 41. παντας. *C. de epiſc. & cler.* Viſitare autem non poſſunt in anno niſi ſemel. *cap.* 6. *hoc tit.* Id habent etiam vt vacantium eccleſiarum cuſtodiam habeant. *cap.* 51. *inf. de appell.* & ad eas poſtmodum clericos epiſcopo præſentent. *can. ſi in plebibus.* 63. *diſt. cap.* 28. *inf. de inr. patr. cap.* 7. & 9. *hoc tit.* & demum in poſſeſſionem liberam introducant, vt cõſtat ex ep. 1. Ioannis Saxiſb. epiſcopi. Inde vſu prauo in aliquibus eccleſijs obtinet, vt non ſolùm beneficiorũ vacantium, vel eorum de quibus lis eſt fructus lucretur Archidiaconus, ſed etiam

poſt inſtitutionē ſucceſſoris anni primi reditus ſibi vindicet: quod & in Archipreſbyteris interdum locum habet, & in Epiſcopis. Sacra etiam *κειμήλια* ad Archidiaconi curam pertinent. *cap.* 3. Denique imperat ſubdiaconis, & Leuitis, qui & diaconi vocantur, & parochiarū ordinatio ad eū pertinet, & loco epiſcopi intra diœceſim corrigit, & emēdat quæ cōtra regulas diſciplinæ eccleſiaſticę fiunt. *cap.* 7. j. *de vita & hon. cler.* *cap.* 1. 7. 9. *hoc tit.* Epiſcopo quoque abſente, de cauſis quæ ad eius audientiam pertinent, cognoſcit. *cap.* 13. *iuncta eius epigraphe.* j. *de reſtit. ſpoliat.* & hæc quum habet, dignitatem habere dicitur: aliâs ſimplicem habet perſonatum. *d. cap.* 54. *de elect.* Archidiaconus dicitur prior diaconorum *in cap. vn.* s. *de ſcrut. in ord. fac.* & diaconus cardinalis, *in can. à ſubdiacono.* 93. *diſt.* & Sidonio Apollinari *epiſt.* 11.

lib. 4. antiſtes ordine in ſecundo. Ordo primus eſt preſbyterorum: ſecundus diaconorum, quorum archidiaconus princeps eſt.

De officio Archipresbyteri.
Tit. 24.

ARchipreſbyter idem eſt ac decanus. *cap. 7. §. tit. ſuperiore. can. in capite.* 50. *diſt.* vocatur à Iuſtiniano N. 123. πρῶτος πρεσβύτερος: & is etiam eſt qui ἀρχοντος, ſiue ἐξαρχου nomine cenſetur, *in l. 41. C. de epiſc. & cler.* quod vocabuli ratio ſatis probat: archipreſbyter enim præeſt preſbyteris, éſtque eorum veluti præpoſitus. Is autem Archidiacono ſubeſt. *can. perlectis. §. Archipresbyter.* 25. *diſt. cap.* 1. *hoc tit.* quo ad quædam tamen maior eo eſt: nam vt presbyteri in gradu & ordine conſtituti ſunt honoratiore, quàm dia-

coni; ita & par eſt Archipreſbyterum archidiacono potiorem eſſe: & hinc in *cap.* 1. *ſup. de reſcr.* dum Lucius III. principales recenſet eccleſiæ dignitates, decanum primo loco nominat: & ſede vacante ſolet ſummus pontifex reſcripta ſua dirigere ad decanum & capitulum, nulla Archidiaconi facta mentione, vt conſtat ex inſcriptione, *cap.* 7. & 19. *eod. tit.* & ex alijs locis horum librorum. Quin & Epiſcopo abſente, pertinet ad Archipreſbyterum miſſarum ſolemnia celebrare, vel cuilibet ex ſacerdotibus præcipere qui adimpleat. *cap.* 1. & 3. *hoc tit.* Ideo autem in multis Archidiacono ſubditus eſt, quia is ſibi habet iuriſdictionem epiſcopi demandatam, vicéſque eius agit, vt conſtitit *titulo ſuperiore.* Hæ verò partes delegatæ potius fuere Archidiacono, quàm Archipreſbytero: quia cùm preſbyteri

parem ferè cum episcopo habeãt potestatem, *can. legimus. 93. dist.* vt etiam & nomine presbyteri episcopus veniat. *cap. 2. & 3. inf. de pecul. cler.* verendum fuit, ne quod à Chorepiscopis præsumptum fuerat, ipsi etiam ordinis prærogatiua vsurparent. Ordinis itaque habita ratione, Archipresbyter Archidiacono maior est, dignitatis & iurisdictionis non item. At vbi Archidiaconus curam animarum non habet, vtroque iure Archipresbyter eo maior est: nam & iurisdictionem habet interdum & coercitionem. *cap. 55. inf. de appellat.* & ad præsentationem patroni interdum Archipresbyter instituit clericos in capellis. *cap. 15. inf. de offic. & pot. iud. del.* Archipresbyteri in duplici sunt genere: alij sunt in ciuitate, nempe in ecclesia cathedrali; alij rurales vocantur, qui super singulas plebes constituuntur in

eccleſiis quæ conuentum habent clericorum. *cap.* 13. *inf. de ſent. & re iud. cap.* 3. *hoc tit.* Hi etiam plebani ſiue rectores vocantur, & presbyteri cardinales *in concilio Neocæſarienſi*, *cap.* 15 quaſi principales, quòd præcipuæ ſint auctoritatis, vt Caſſiodoro præfectus vrbis Romæ dicitur princeps cardinalis. *lib.* 7. *var. form.* 31. Hi autem archipresbyteri rurales ab epiſcopo in eccleſiis inſtituuntur, ad præſentationem Archidiaconi, vt conſtat *ex dicto cap.* 7. *in fi. tit ſuperiori*: & docet etiam Arnulphus Lexouienſis epiſcopus *epiſt.* 28.

De officio Primicerij. Tit. 25.

NVnc de primicerio, qui archipreſbyterum ſubſequitur. Primicerij nomine ſemper deſignatur is, qui in dignitate aliqua eminet & primus eſt, vt *in l.* 1.

Digitized by Google

C. de menſor. lib. 12. & l. 2. C. de fabricenſ. eod. lib. primicerius menſorum, primicerius fabricæ. *& in tit. eiuſdem libri, de primicerio.* primicerius notariorum is dicitur, qui in eorum ſchola primum locum obtinet. Suidæ πριμικήριος ὁ πρῶτος τάξεως τῆς τυχούσης. Ita Epiſcopi dicti Preſbyterorũ primicerij, quaſi qui principem inter eos locum teneant. Non eſt itaque verbum duplex ſiue compoſitum, ſed ſimplex prorſus: & in eo, cerius, nihil ſignificat, ſed eſt tantùm productio, ſiue additamentum: vt tradit dominus Cuiac. *ad d. tit. de Primicerio.* Non malè tamen dici poteſt illud additamentum originem ſuam trahere à cera, quæ & Græcis κῆρος dicitur, & inde πρωτοκήριος quaſi anteſignanus cuiuſlibet dignitatis in prima cera & à capite laterculi dignitatum inſcriptus.

Primicerio autem, de quo hoc loco agitur, hæc cura incumbit, vt præsit diaconis, & eis iniungat, quæ ad ministerium eorum pertinent, sicut alijs qui post eos sunt. *cap. vn. hoc tit.* Ei incumbit etiam cantandi officium, vt præcat viam canentibus & psallentibus clericis. *can. perlectis. §. ad primicerium. 25. dist.* & ideo *in can. cleros. 21. dist. & his libris passim*, Cantor dicitur & præcentor. & Sidonio Apollinari *epist. 11. lib. 4.* dicitur phonascus: & idem ferè qui olim χορηγὸς dicebatur, siue χοροδιδάσκαλος, & χοροστάτης, quasi vocis formandæ magister, qui chorum symphoniacorum ducebat, & moderabatur. Iulianus Cæsar ad Iamblichum: ἡμεῖς γοῦν τῷ πλήκτρῳ τὸ εἰκὸς αὐτηχήσομεν, ὥσπερ οἱ τῷ χοροστάτῃ θεὸς τὸ αὐτάκλημα τῷ ῥυθμῷ συνομολογοῦντες. Primiceriatus per-

ſonatus eſt, licet interdum *καταχρηστικωτέρως* dicatur dignitas, propter gradus prærogatiuam quam habet in choro. *cap.* 8. §. *de conſtitut. cap.* 6. §. *de conſuetud.* Primicerio verò, ſiue præcentori interdum ſuccentor adiungitur, *d. can. cleros.* & is plerumque ex arbitrio præcentoris inſtituitur, & ſuccentoriæ donatio ad præcentorem pertinet. *cap.* 11. §. *de exceſſ. prælat.*

De officio Sacriſtæ. Tit. 26.

SVnt quoque Sacriſtæ partes quædam, vt ſacra vaſa, veſtes, gemmas, pateras, lances, thuribula cuſtodiat; ne quid horum vel deteratur vel pereat. Hæc dicuntur eſſe in theſauro eccleſiæ *lib.* 1. *capit. Caroli Magni cap.* 123. & hinc quia totius theſauri eccleſiaſtici cura ad eum ſpectat, Theſaurarius dicitur, *in can. perlectis.*

in fi. 25. dist. & cap. cum nostris. ff. de conces. præb. Idem est qui custos sacrorum vasorum dicitur *in l. 21. sancimus. C. de sacros. eccles.* & χειμηλιάρχης *in l. vlt. §. fin. C. de reb. aut. iud. poss.* σκευοφύλαξ Suidæ. Dicitur etiam Cellerarius, *in cap. 25. ff. de præb.* eadémque ratione, *in cap. 6. §. 1. inf. de statu Monach.* Cellerarius is dicitur, qui monasterij veluti œconomus est, & dispensator. Vtroque tamen loco legendum videtur Cellarius; nam Cellarius præposito & decano coniungitur *cap. 56. addit. 1. ad capit. Caroli Magni.* & in iure ciuili, Cellarius dicitur, non Cellerarius, qui ideo præpositus est, vt rationes saluæ fiant. *l. quæsitum. 12. §. 7. ff. de instr. fundo leg. & l. 24. ff. de manumiss. testam.* Thesaurarius autem siue sacrista, personatum habet: & ideo ei tanquam aliqua dignitate prædi-

to, ſolet etiam ſummus pontifex cauſarum cognitionem delegare, vt conſtat *ex cap. 32. ĩ. de offic. iud. deleg. & cap. 11. inf. de foro compet.*

De officio Cuſtodis. Tit. 27.

EÆdem penè functiones ſunt Sacriſtæ & Cuſtodis; diuerſæ tamen: ille eorum cuſtodiam habet, quæ ad vſum altaris, & miniſtrorum eccleſiæ ſpectant: hic illorum, quæ ad ipſius eccleſiæ ornatum & decus; vt ſunt linteamina, periſtromata, tapetes, & cetera id genus. Cura etiam lampadum penes eum eſt, & eius diligentiæ incumbit quoque, vt panis & vinum omni tempore ad miſſam, ſiue *μυσταγωγίαν* præparetur, & ſigna pulſentur ſtatis horis. Hic quoque gradus habet prærogatiuam inter canonicos, vt non in vili procuratione poſi-

tus dicatur, ſed velut in honeſtiorem locum allectus, Archidiacono ipſi, & Archipreſbytero comparetur, vocetúrque eccleſiæ columna, quaſi in eo cultus ipſius nitatur. *cap. vlt. hoc tit.* ipſi autem Archipreſbytero ſubeſt. *cap. pen. ſup. de offic. Archipresb.*

De officio Vicarij. Tit. 28.

VIcaria perpetua beneficium eſt: & qui eo tacito, quòd vicariam perpetuam habet, litteras obtinet ad quodlibet officiū, iure reſcripti priuatur, quaſi iam ſit beneficium adeptus, *cap.* 27. §. *de reſcr.* Ideo vt non licet cuiquam ſine diſpenſatione duo habere beneficia, duabus præeſſe eccleſiis. *can. vnic.* §. 1. 10. *qu.* 3. *& lib.* 6. *capit. Caroli magni cap.* 73. ita nec licet in duabus eccleſiis vicarij officio fungi. *cap.* 2. *hoc tit.* Requiritur enim vt Vicarius ſiſtat ſe

in

in loco beneficij, vt munus ſuum ipſe obeat, & eccleſiæ miniſterio adſit ſemper: nec ei licet delegare alicui vicem ſuam, & vicarium alium ſibi ſubſtituere: ſed vt beneficium in aliqua eccleſia obtinuit, vicarius eſſe deſinit. *cap.* 1. 4. *& vlt.* Vicarios autem perpetuos habent Monachi, vel Canonici, qui titulis, vel præbendis annexas habent parochiales eccleſias. *cap.* 12. *cap.* 30. §. *fin.* ĩ. *de præb.* & his vicarijs debet aſſignari pars reddituum & prouentuum, nomine portionis congruentis, ſiue μέρους αὐτάρκους καὶ ὀπιβάλλοντος, vt qui inſtituti ſunt, de alimentis non pendeant. *d. cap.* 12. *&* 30. ĩ. *de præbendis. & cap.* 1. *de iu. patron. in Clement.* Solet ea conſtitui pro qualitate beneficij, & perſonæ dignitate, ex iudicis eccleſiaſtici arbitrio: & de ea tranſactionem factam vires non habere placuit; quia alimentorum loco cedit, de

quibus transigere non licet. *l. cùm hi. ff. de transact.* vbi verò semel vicarius perpetuus in aliqua ecclesia institutus est, non potest remoueri, ne quidem eo defuncto ad quem eius præsentatio pertinet. *cap.* 2. s̃. *de suppl. negl. prælat. cap.* 3. *hoc tit.*

De officio & potestate Iudicis delegati. Tit. 29.

DElegati iudices sunt, qui extra ordinem à principe, vel à summo pontifice dantur ad lites discingendas: ideo dicuntur θεῖοι δικασταὶ, θεῖοι διαιτηταὶ, *l.*12. *C. de iudic. l.*5. *C. de fruct. & lit. exp.* sacri cognitores. *l. vlt. C. vbi Sen. vellarij.* Dicuntur etiam principalis disceptationis imaginem habere *l.*20. *C. de appellat.* & vice sacra iudicare, *l.*16. *C. Theod. eod. tit.* Hi iurisdictionem habent: qui ab alijs, veluti magistratibus de-

legantur, habent notionem tantùm. *l. 5. ff. de re iud.* Habere iurisdictionẽ, siue, vt hi libri loquuntur, administrationem, & habere notionem, siue iudicandi facultatem diuersum est. *cap. pen. ī. de in int. restit. l. vlt. C. vbi & apud quem cognitio in int. rest. ag. sit.* tamen interdum notionis verbum generaliter acceptum cognitionem & iurisdictionem significat. *l. 99. notionem. ff. de verb. signif.* Iudices dare, iurisdictionis est, *l. imperium. § fin. ff. de iurisdict. omn. iud.* A principe itaque delegati, vel à summo Pontifice, iudices dant, id est demãdare vicem suam alijs possunt: qui ab his, vel ab alijs dati sunt, non habent substituendi facultatem. *l. 5 C. de iudic. cap. 62. ī. de appellat.* Rursus, hi litis exordium, vel partem aliquam, vel totius causæ cognitionem demandare possunt. *cap.* 18. *cap.* 27. *hoc tit.* ceteri magistratus, ὅσοι τῶν μέρους ἐπιτρόπων

tantùm: omnimodo verò negotio finem imponere debent. *N.* 60. §. 6. *N.* 82. §. 2. At vbi is qui à principe, à ſummo pontifice datus eſt, totius cauſæ cognitionem delegauit, ſi à ſubdelegati ſententia appelletur, non is appellatur, ſed qui primum delegauit. & is etiam cui cauſa mandata eſt appellatione remota, non poteſt eandem cauſam delegare ſub eadem conditione: ſolus enim princeps & ſummus Pontifex ita iudices dare poſſunt ne liceat ab his prouocare. *l.* 1. §. *fin. ff. à qu. appel. non licet. d. cap.* 27. *hoc tit.* Delegati autem, cùm omnia componant, & conſtituant iure delegantis; dignitatis ſuæ, & decoris ſummam debent habere rationem, & pœnali iudicio eam defendere ſecundum ius poteſtatis ſuæ. *cap.* 5. *hoc tit. l.* 1. *ff. ſi quis ius dic. non obtemp.* Nec tantùm contra contumaces litigatores, ſed quoſ-

cumque, qui quoquo modo iurisdictionem eius impediunt. *cap.* 1. & 7. Ea in delegatis à summo pōtifice coërcitio, est suspēsionis & interdicti, *cap.* 11. quod obtinet etiam in subdelegatis, *cap.* 29. Delegati iurisdictio morte mandātis exspirat, si nondum delegatus iurisdictione vti ceperit, ideſt si nec lis fuerit contestata, nec partes in iudicium vocatæ. *cap.* 19. 20. 30. *l. & quia. ff. de iurisd. omn. iud.* finitur etiam, si is qui delegauit, mandatum ipse habuit iuridicinam, & eius officium exspirauit. *cap. fin. j. tit. seq.* Idem est si lis decidenda alicui commissa sit intra certum tēpus: eo enim transacto desinit esse iudex. *cap.* 4. *hoc tit.* Terminus autē incipit ab eo die quo iudices litteras siue reseriptū quo dati sunt receperint. *cap.* 12. §. *pen. inf. de appellat.* Cùm delegatur aliquis sub nomine dignitatis, non personæ, eo mortuo, qui

ſuccedit in dignitate, ſuccedit in iudicatione, *cap. 14. hoc tit. cap. 11. §. fin. inf. de off. iud. ord.* & in eam rem eſt elegans l. *Annua. §. 1. ff. de ann. leg.*

De officio Legati. Tit. 30.

LEgati quoque vicariam ſeu fiduciariam pro ſummo pontifice præbent operam: ſed eorū poteſtas maior eſt quàm delegatorum iudicum; quia non ad vnam cauſam dati ſunt, ſed ad vnius prouinciæ negotia omnia explicanda. Sunt autē hi in triplici genere: quidam enim priuilegio eccleſiæ ſuæ in prouincia ſua ius dicunt, ex mandato ſummi pontificis, & partibus eius funguntur, dum quid conſtituunt appellatione remota, & per libellum multa expediunt, de quibus aliàs non niſi ex appellatione ſolent cognoſcere. *cap. 1. & pen.*

hoc tit. cap. 1. *eod. tit. in* 6. Alij miſſi dicuntur, qui & paſſim nuntij ſedis Apoſtolicæ, epiſcopi ſcilicet, non Cardinales. Vltimi vocantur legati à latere. *can. decreto. & can. ſi quis epiſcopus.* 2. *qu.* 6. *& d. cap. pen.* qui nimirum ex collegio Cardinalium eliguntur, quíque à conſiſtorio ſummi Pontificis extra ordinem proficiſcuntur: Ita *in l.* 30. *iuriſperitos. ff. de excuſ. tut.* circa latus principis agere dicuntur, qui in eius comitatu ſunt: & hoc etiam ſenſu Yuoni *epiſt.* 109. legati hi dicuntur laterales. Horum poteſtas latior paulo eſt, quàm aliorum; & plerumque vtuntur inſignibus Apoſtolicæ dignitatis. *cap.* 23. *inf. de priuil.* ideo in ea prouincia ad quam diriguntur, perinde ac ſummus pontifex, ius habent ex concurſu cum ordinariis beneficia conferendi. *cap.* 6. *hoc tit. cap.* 1. *in fi. eod. tit. in* 6. Excipiuntur beneficia, quæ ad præſentatio-

nem patroni laici pertinent. *cap.* 28. *j. de iur. patron.* In hoc regno, ne quidem ſummus Pontifex poteſt præiudicium vllum creare patrono laico, ne ſi non remaneant hæc iura patronatus integra, & illibata, multi impediantur nouas eccleſias conſtruere. Sunt verò multa, quæ non poteſt Legatus à latere: vt ſunt ea quæ ſpeciale mandatum deſiderant, quæque non ſolet Papa in quemquam transferre. *cap.* 3. *&* 4. *hoc tit.* & rectè Leo Papa *in can. multum.* 2. *qu.* 6. legationis officium pars eſt Apoſtolicæ ſolicitudinis, non plenitudo poteſtatis. Legatus autem alius eſt à Vicario ſummi Pontificis: Legatum enim ipſe mittit extra Romam; Vicarium verò Romæ relinquit, ſi eum abeſſe ex cauſa neceſſaria contigerit. *cap. pen. ſup. de offic. vic.*

De officio Iudicis ordinarij.
Tit. 31.

IVdicum alij notionem, ſiue iuriſdictionem habent ἐκ ἀναθέσεως: alii ἐκ τοῦ δικαστικοῦ φύσεως, vt ait Iuſtin. N. 20. *in fine*: id eſt, alij ex delegatione, alij ex ordine cognoſcunt, vt ait l. 19. C. *de appellat.* De primis primùm egit Gregorius Pontifex; de poſterioribus agit hoc titulo. Ordinarij iudices ſunt epiſcopi, Archiepiſcopi ſiue Metropolitani, Primates ſiue Patriarchæ. Epiſcopus intra diœceſim ſuam ſuo iure habet audientiam, & coercitionem canonicam; éſtque veluti αὐτοκράτωρ. Audientiæ verbum iuriſdictionem ſonat. *l.* 1. C. *de iuriſd. omn. iud. l. vn. C. ne liceat in vna eadémque cauſa ter prouoc. l.* 29. *C. Th. de appellat.* Eſt itaque hic titulus

ferè totus de epiſcopali audientia. Diœceſis verò nomen interdum adminiſtrationem ſignificat, vt Græcis actio negotiorum geſtorum dicitur *ἀγωγὴ περὶ διοικήσεως*, *& l. 6. C. de epiſc. aud.* diœcetæ ſunt adminiſtratores ſiue curatores. Significat etiam locum ipſum, ſiue prouinciam, in qua quis imperium aut iuriſdictionem habet, vt apud Ciceronem *lib.* 13. *epiſt. famil. duobus locis.* Accipitur etiam pro multitudine prouinciarum vni nomini ſubiecta, vt *in l. vlt. C. de epiſc. aud. & tit. Cod. de præf. præt. Africæ & totius eius diœceſeos ſtatu.* Africa, ſub qua ſunt multæ prouinciæ, dicitur Diœceſis: & ita Ægyptus *in l. vn. C. de priu. carcer.* dicitur Diœceſis, & ea etiam ratione, *in l.* 9. *C. Th. de leg. & decret. legat.* Diœceſis ſeparatur à ſingulis prouinciis. Hoc autem iure territorium ſo-

nat: vt territorium ſæpe pro Diœceſi. *in can. omnes baſilicæ. 16. qu. 7. & alibi paſſim.* Territorium finiere Iuriſconſulti *in l. pupillus. 249. ff. de verb. ſign.* eſſe vniuerſitatem agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis: quod ita dictum eſt, quòd Magiſtratus eius ciuitatis terrendi, id eſt ſummouendi ius habeat. Id non malè ad epiſcopum referri poteſt, nam is intra ſuæ diœceſeos, ſiue diſtrictus terminos habet ius gladij diſtringendi, id eſt mucrone interdicti animaduertendi in contumaces, & eos qui quid aduerſus præcepta eccleſiæ moliuntur. Denique delicta Clericorum inquirit, & vindicat *cap.* 1. Inferiorum prælatorum negligentiam coercet, illíſque imminet ne ſinant crimina impunita coaleſcere. *cap.* 4. 5. 7. 13. §. 1. Committit presbyteros, qui vice ſua plebem doceant. *cap.* 15. & diœce-

sim suam obit statis temporibus. *cap.* 17. neque Archiepiscopus aut Primâs, licet iure metropolitani præsit, potest impedire episcopum, aut aliquid sibi vindicare in eum qui suffraganeo suo subiectus est. *cap.* 11. *hoc tit. cap.* 8. §. *fin. inf. de excess. prælat. can. nullus.* 9. *qu.* 3. Non item aliter audientiam suam præbet, quàm ex appellatione ab episcopo ad eum causa sit deuoluta. *cap.* 8. & 9. *hoc tit.* Sunt gradus iurisdictionis certis quibusdam legibus constituti; quas excedere non licet: & ad has illud Heracliti, apud Plutarchum περὶ φυγῆς, potest aptari satis rectè, ἥλιος οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα· εἰ δὲ μὴ, ἐρινύες μιν ἐξευρήσουσι δίκης ἐπίκουροι.

De officio Iudicis. Tit. 32.

HIc titulus ad ſuperiores omnes pertinet, qui de iudicibus fuerunt: eſt enim de officio iudicis in genere. Multa iudices vltro facere debent & partes ſuas interponere non rogati: ſupplent quæ vel partibus vel aduocatis partium deſunt. *cap.* 3. s̄. *de poſtul. prælat. l. vn. C. vt quæ del. aduo. part. iud. ſuppl.* Debent etiã inter cognoſcendum partes interrogare, num quid noui addere deſiderẽt, vt rei actæ fides pleniùs ſibi conſtet, dum eius qualitatem accurata inquiſitione diſcutiunt. *l.* 9. *C. de iudic. l.* 1. *C. Th. eod. tit. can. fin.* 30. *qu. vlt.* qui omnimodo ex d. l. 1. deſumptus eſt. Aduocatos etiam petentibus indulgere debent. *cap.* 1. *hoc tit.* Syneſ. *epiſtola* 57. πῶς γάπου δεῖ; βάλλε πῶς τὸν ὀπτῶντα τῆς πολιτείας.

Quintil. *Decl.* 332. *Habebat ius optandi patronum: hanc leges dederant poteſtatem.* Æquè ad eorum religionem pertinet, vt aduocatum ijs concedant qui non petunt, vel his qui propter aduerſarij potentiam nullum inueniũt. *l. nequicquam. §. aduocatos. ff. de offic. proconſ.* Denique qui iuri dicundo præeſt, vt recti & conſtantis iudicis partibus fungatur, omnia debet ad normam æquitatis componere, & prout quæque res expoſtulat, perpenſo iudicio ſtatuere. *l.* 11. *perſpiciendum. ff. de pœnis.* Ita Heliodorus *lib.* 10. *hiſt. Æthiop.* æquum iudicem definit γνώσον τὸν τ δικαίε σωμήγορον.

De Maioritate & obedientia.

Tit. 33.

EA eſt rerum humanarum cõditio, vt ſine certo ordine vix ſubſiſtere queant. Τάξις σωσ-

κατὰ ὑράνια, καὶ κατὰ ὄπιχα, vt ait Zonaras *ad canon.* 31. *Apost.* Ideo D. Paulus 1. *ad Cor. cap.* 14. præcipit nominatim, πάντα εὐσχημόνως, καὶ κατ' τάξιν γίνεσθαι. Hinc factum vt in ecclesia certus ordo dignitatum sit constituturus, & sua omnibus munia sint assignata, vt dum quisque ea agnoscit, omnia æquabili & conciṅna ratione contineantur, id est minores potioribus reuerentiam exhibeant, & potiores minoribus dilectionem impendant, vt dicitur *in can. vlt.* 89. *dist.* & hic igitur titulus, est de maioritate & obedientia, quam debent inferiores ijs qui eminentioris gradus fastigium obtinent: vt abbates & sacerdotes, qui in monasterijs prioratum sibi vindicant, Episcopi monitis & præceptis acquiescant, eiúsque ad synodum veniant. *cap.* 9. *hoc tit. cap. vlt.*

Digitized by Google

j. *de cauſ. prop. & poſſ.* Vt hi inuicem in monachos & canonicos regulares, quibus præſunt, ius habeant coercitionis. *cap.* 10. 12. vt ſede vacāte morte Epiſcopi vel capto eo ab hoſtibus, capitulum iuriſdictionem habeat, vicémque epiſcopi agat. *cap.* 14. *hoc tit. cap.* 3. *de ſuppl. negl. præl. in* 6.

De Treuga & pace. Tit. 34.

GRegorius de pactis priuatorum acturus, præmiſit hunc titulum de publicis conuentionibus; nimirum de treuga & pace. Pax eſt publica conuētio, quoties inter ſe duces belli quædam paciſcuntur, quæ ideo originem habet à pactione. *l.* 1. §. 1. *& l.* 5. *ff. de pactis.* Treugæ nomen, vocabulum barbarum eſt, nec Latinis auctoribus cognitum. Illo ſignificantur inducię. Hæ Donato in Eunuchum Terentij, ſunt pax in paucos

paucos dies: vel quòd in diem dentur, vel quòd in dies otium præbeant. Varroni apud Gellium *lib.* I. pax castrẽsis paucorum dierum, siue belli feriæ, pactum vt in dies certos non pugnetur, nihílq; incommodi detur. Paulo Iurisconsulto *in l.* 19. §. 1. *ff. de captiuis & postlim. reuers.* induciæ sunt cùm in breue vel in præsens tempus conuenit, ne inuicem se lacessant. Quæ definitiones omnes in idem recidunt. Eo sensu dictæ Græcis ἐκεχειρία, quam Thucydidis interpres definit πρὸς ὀλίγον χρόνον τοῦ πολέμου ἀναβολὴν ἢ ἡσυχίαν, ἀπὸ τὸ ἔχειν τὰς χεῖρας. Dictæ etiam ἀνακωχὴ ἀπὸ τὸ ἔχειν αὖ ὧν τὰς ἀκωκάς. Differunt induciæ à tuitione, quã Græci ἀσφάλειαν vocant. Hanc concedit princeps ei qui in periculum aliquod vocatur, aut à potentiori metuit sibi damnum

aliquod creari: ad relligionem siquidē principis pertinet sollicitè cauere, ne humiliores iniurijs afficiantur. Tuitionis formulam edidit Cassiod. *lib. 7. var.* Ea significatur his libris per litteras de conductu, & protectionis. *cap. pen.* j. *vt lite non contest. non proced. ad test. recept. cap.* 18. j. *de priuileg.* At inducię, sunt pactio διπλοῦρος, quæ ducibus exercitus vtriusque placuit. Differunt etiam à pace, quòd pax sit in perpetuum, aut in longum tempus: inducię verò pax veluti temporalis, & paucorum dierum. Ideo nec pacis appellatione, treugæ siue inducię veniunt. *cap.* 11. j. *de Iudæis.* Has verò nemo violare debet vbi semel pactæ sunt: nec etiā callida & malitiosa interpretatione frustrari paciscētes, vt ille apud Ciceronem *lib.* 1. *de off.* qui triginta dierum pactus inducias, nocte depopulabatur agros, eam

versutiæ suæ, & solertiæ causam prætendens, quòd dierum essent pactæ, non noctiū induciæ. Constitutum autem est tempore belli certorum dierum spatium, quo cessetur ab armis, & in exercitu halcyoniæ sint, hinc inde data securitate, vt cultui diuino interim vacari possit. *cap. 1. hoc tit.* Omni autem tempore clerici vel qui agriculturæ dant operam, plenissima securitate gaudent, ob eorum ministerium necessarium. *cap. vlt.* Hinc & in personis ecclesiasticis pignorationes & ἐνεχυριασμὸς, siue vt antiqui Græcorū locuti sunt ἀντιφωνήσεις, prohibet Gregor. X. *in cap. vn. de iniur. in 6.*

De Pactis. Tit. 35.

VT publicis, ita & priuatis pactionibus fides constare debet: & rectè Vlp. *in L. 1. ff. hoc tit.*

nihil magis congruum esse fidei humanæ quàm pacta seruare. quòd ius hoc subsequitur, vt secundum hæc ius dicatur *cap.* 1. & 2. nisi fortè illicitæ conuentionis speciem contineant, vt cùm à lite, quæ de beneficio aliquo mota est, discedituꝛ, dato aliquo expensarum nomine, eo colore quæsito, quo fraus & simoniæ labes tegatur. *cap.* 4. Sic iure ciuili non omnia pacta conuenta prætor rata habet, sed ea tantùm quæ neque dolo malo, neque aduersus leges facta sunt, neque aduersus earum sententiam : parum enim distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, & tam facit contra legem is qui saluis eius verbis callido cõmento mentem eius circũuenit, quàm qui id facit, quod lex prohibet nominatim. Generaliter ergo pacta ea infirmãtur, ex quibus quid sequitur improbum, & absurdũ. *cap.* 5. & 6. Ea etiam, quoiũ occa-

ſione iuri alieno detrahitur. *cap.* 7. Ea denique, quæ de re turpi aut impoſſibili elicita ſunt. *cap. vlt.* In malis promiſſis reſcinde votum: in turpi voto muta decretum: turpis eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur. *can. in malis.* 22. *qu.* 4. Sic Deorũ pollicitationibus apud Homerum, hæc perpetuò adijcitur conditio,

εἰ δυνάμαι πελέσαι γε, & εἰ πεπελεσμένον ἔστι.

De Tranſactionibus. Tit. 36.

TRanſactio quoque pactum eſt, ſiue ſpecies pacti: quo, dato aliquo, vel retento à lite motâ diſceditur, aut quæ imminet controuerſia remittitur. Eò differt à pacto, quòd pactum interdum formet aut præparet actionem, trãſactio diſſoluat penitus: eáque ratione Græcis Iuriſconſultis διάλυσις dicitur. Dicitur

etiam à Iuſtiniano φιλικὴ συμβίβασις, N. 48. *in fi.* & alibi paſſim: φιλία ἀπαλλαγὴ, N. 101. Hæc cùm inter maiores ſemel admiſſa eſt, nullo prætextu reſcinditur, nec ſi res ipſa dolum in ſe habeat; & qui tranſegit vltra quadruplum ſit deceptus. *l.* 78. *§. fin ff. ad Trebell.* quod ius etiam ex conſtitutione Caroli IX. obtinet. Sufficit autem rem fuiſſe dubiam vel incertam: nam licet metus vanus fuerit: licet is qui tranſegit, rem nullam meticuloſus fruſtra timuerit; tamen datum propter cauſam non repetitur, niſi dolus eius euidens arguatur, qui per calumniam mouit actionem, vt aliquid extorqueret. *l.* 65. *ſumma. §.* 1. *ff. de condict. indeb.* Vt verò ius ciuile non admittit tranſactionem de alimentis, ita nec iſtud probat de decimis tranſigi poſſe, quæ ſacra myſteria peragentibus loco alimentorũ ſunt. *can. eccleſias.* 16. *qu.* 7.

quòd duplex ratio ſuadet: primũ quod non poſſit laicus ſe eximere ab earum præſtatione; tum quòd is qui ius habet eas percipiendi, id ratione eccleſiæ habeat, cui in futurum nullum poteſt præiudicium inferre, cùm pro temporis ſpatio quo eccleſiæ præeſt, redituum interuſurium, & beneficij vlumfructum habeat tantùm, non ius dominationis plenæ. Quæ ergo facta fuerit de decimis trãſactio, eos obſtringet tantùm qui tranſegerint, quia vix admittẽtur ſi velint placitis conuentionibus obſiſtere; ſucceſſores nullomodo. At inter perſonas eccleſiaſticas, quæ ſibi decimas aſſerunt, tranſigitur rectè: quia eius iuris capaces ſunt omnimodo, videlicet ſi eorum conſenſus accedat quorum intereſt. *cap.* 2. 3. Aliâs his nocet tantùm qui tranſegerint. *cap.* 5. 8. De beneficio autẽ eccleſiaſtico tranſigi non poteſt,

quia id ſpeciem præbet ſimoniæ: poteſt tamen intercedere amicabilis conuentio. *cap.* 3. *tit. ſup. cap.* 4. *& hoc tit.* & interdum pro bono pacis obtinet, vt certa penſio ei aſſignetur, qui beneficio cedit: ſed illud non tam placiti viribus, quàm iudicantis auctoritate ſubſiſtit. *cap.* 21. *j. de præb.* Non licet etiam de ſubiectione, quam prælatus vindicat in aliquos. *cap. pen.* Inhibetur quoque tranſactio de iure patronatus inter eccleſiam, &eum qui hoc ius ad ſe pertinere contendit. *cap.* 9. De matrimonij cauſa quæ in diſceptationē venit, nullus partium conſenſus ad trāſactionem proficit. *cap. vlt.* quod ita conſtitutum, ne eius liber ſit diſtractus, quod leges canonicæ prohibent. Vtcumque igitur trāſactio ad iudicati auctoritatem proximè accedat, tamen ius matrimonij ſemel contracti non lædit.

Digitized by Google

De Poſtulando. Tit. 37.

NOn omnes lites pactis & trãſactionibus finiũtur, ſed nec ſemper ijs acquieſcitur: ideo plerumque ad iudicis tribunal accedendum eſt, qui iuriſdictione ſua partes componat. Apud eum quiſque poſtulat quod deſiderat, & poſtulat per ſe, vel per alium: poſtulare enim eſt deſiderium ſuũ vel alterius proferre & explicare. Id Græcè ita efferri poteſt, ἐρμηνεύειν τὴν ἑαυτοῦ ἢ τὴν ἄλλου διάθεσιν. eáque ratione quemadmodum id, quod mercedis loco proxenetæ datur, qui negotio alicui explicãdo operã præſtitit, ἑρμηνευτικὸν dicitur, *in l. vlt. ff. de proxenet.* ita & honorarium, quod remunerandi gratia aduocato datur, qui ſuffragium tulit. Poſtulare autem & cauſam dicere idem: ideóque patroni of-

ficium ſiue munus dicitur cauſidicina, *in l. vlt. C. Th. de cohort. princip. cornicul. l.* 189. *de decur. C. eod.* Eſt verò poſtulandi delectus quidam hoc iure, perinde ac iure ciuili. Clericis deſiderium ſuum, vel eccleſiæ ſuæ exponere coram quocumque iudice licet; alienum non licet coram iudice ſæculari; niſi pro pupillis viduis, & perſonis miſerabilibus. *cap.* 1. *& vlt.* Monachis ne quidem pro eccleſia ſua apud quemcumque poſtulare conceditur ſine permiſſu abbatis. *cap.* 2.

De Procuratoribus. Tit. 38.

ADeſt procurator plerumque actori vel reo, & velut cognitor negotij eſt, illiúſque contextum dirigit: & inde etiam litis ordinator dicitur à Seneca *ep.* 110. & negotiorum exſecutor, *l. vlt. ff. de teſtibus.* Non autẽ poteſt cogi

quis procuratorem constituere. *cap.* 2. Sunt qui coguntur, vt illustres, & qui in dignitate honoratiori sunt constituti. *l. pen. hoc tit.* Iustin. *N.* 71. Cogũtur hodie omnes nisi in leuibus causis quæ de plano & sine strepitu iudicij finiri debẽt coram pedaneis iudicibus. Olim omnino nõ licuit per procuratorem agere-*tit. de his per quos ag. poss. apud Iust. l. nemo alieno.* 168. *ff. de reg. iu.* Tandem constitutio l. fin. C. *hoc tit.* induxit vt liceret. Non licuit etiam olim iure francico; & in hanc rem opus fuit rescripto principis, vt docẽt formulæ Marculphi: & patet etiam ex cap. 7. hoc tit. In causis criminalibus, nec iure ciuili nec isto licet procuratorem constituere. *l. vlt. C. vbi senat. vel clariss. cap.* 15. *j. de accusat. cap.* 5. *hoc tit.* Excipiuntur clerici religionis & sacerdotij veneratione, si in foro seculari criminis causam dicant. *N. Valent. de*

epiſcop. iudic. Sed & ſi crimen per exceptionem tãtùm opponatur, non inſtituta ſolẽni accuſatione, procurator in ea quæſtione poteſt admitti. *cap.* 16. *d. tit. de accuſat.* Procurator mandatum habere & eius fidem facere debet. *cap.* 1. *hoc tit.* Si non habeat, ratam rem dominum habiturum cauere debet. §. *procurator. de ſatiſd. apud Iuſtin. l.* 40. §. *ſed & is. ff. hoc tit.* Aliâs ſententia lata cum falſo procuratore aut legitimè reuocato nullius eſt momenti. *cap.* 3. *&* 4. *l. licet. C. hoc tit.* At fraudulenter non licet procuratorem reuocare: & qui ſecus egerit, condemnatur in expenſis, quas propter moram, quæ rei adhibita eſt, pars aduerſa fecerit. *cap.* 8. Si quis etiam, quem negotio ſuo adeſſe voluerat, mutata voluntate procuratorem ſuum eſſe noluerit, nihilominus iudicium, quo quaſi procurator expertus eſt, iudice vel parte

ignorante, ratum manet. *cap. 13. l. vn. C. de ſatisdat.*

De Syndico. Tit. 39.

PRocuratorem dant ſinguli, Syndicum verò collegium, vel vniuerſitas conſtituit. *l. 1. §. 1. & 2. ff. quod cui. vniuerſ. nom.* Conſtituitur tamen interdum ab epiſcopo. *cap. 9. tit. ſuper.* fortè propter negotiorum varietatem quibus diſtringitur, vel quia negotia epiſcopus communia habet cum Capitulo. Procurator etiam vt plurimùm ad vnam litem datur; ſyndicus verò ad cauſas vniuerſas quas cõuentus habet, in communi. *l. 17. placet. C. de epiſc. & cler.* Plerumque ſola voce & nominis ſono differunt: nam quos Græci συνδίκους, eoſdem Latini defenſores vocant. *l. vlt. §. defenſores. ff. de mun. & hon.* & ita *in cap. 2. inf. de reſt. in int.* procurator pro ſyndi-

co. Habuere eccleſiæ olim & monaſteria apocriſarios ſuos, qui ijdem ſunt accuratores & negotiorum geſtores, vt conſtat ex N. 6. 123. 133. 153. Accipiuntur etiam pro quibuſlibet procuratoribus & ſyndicis, *cap.* 4. s̃. *de elect. can. ſeptuaginta.* 16. *diſt. can. conuenientibus.* 1. *qu.* 7. Marcus Eremita lib. *τοῦ νόμου πνευματ.* *ἀποκρισιάριοι ἢ διαποτικῆς οἰκονομίας.* Ita reſpõſales ijdem ſunt, qui procuratores & ſyndici. *cap.* 6. §. *ſed contra.* j̃. *de dolo & contum. cap.* 6. *&* 34. j̃. *de teſtib. cap.* 12. j̃. *de ſimonia.* Syndici dicuntur etiam œconomi. *cap.* 3. *&* 4. j̃. *de iuram. cal.* Dicti quoque defenſores eccleſiæ & aduocati. *can. ſaluator.* 1. *qu.* 3. eodémq; ſenſu *ἐκκλησίας ἔκδικοι*, & vno verbo *ἐκκλησιέκδικοι*, *in l.* 41. *πᾶσαν. C. de epiſc. & cler. l. vn. C. de his qui ad eccl. confug.* eodem ſignificatu ecdici pro ſyndicis apud Cicer. *lib.* 10. *ep. fam.* & Plin. *lib.* 10. *ep.* 115.

De his quæ vi metúſve cauſa fiunt. Tit. 40.

REctè Ariſtoteles *lib. 2. rhet. ad Theod. cap. 2.* φόβον definit λύπην ἢ ταραχὴν ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. Metus autem dicitur, inquit Varro, à quodam motu animi; cùm id, quod malum caſurum putat, refugit mens. Cùm refugere mentem dicit, innuit ſatis ea, quæ vi metúque fiunt, voluntatem habere. Cuius ſententię eſt D. Auguſt. *in can. merito. 15. qu. 1.* dum ait eum qui quid metu facit, id velle propter quod facit. Exéplum ponit idem Ariſtoteles *lib. 3. ad Nicomachum*, in his quæ leuãdæ nauis gratia in mare iaciuntur: nam qui iactum facit, facit inuitus quidem; velle tamen dicitur, dum eo modo ſaluti conſulit.

ἁπλῶς ὂν ἀποδώσεται ἑκών, ὅτι δὲ σωτεία αὐτῷ, καὶ τῶν λοιπῶν πάντες οἱ νῦν ἔχοντες. Hæc tamen quæ vi vel metu fiunt, quia neceſſitas impoſita eſt contraria voluntati, rata non manent: & Ariſtoteles etiam *d. loco*, ea omnino & ſimpliciter ijs eſſe adſcribenda ait, quæ ἀκούσια ſunt, & præter animi ſententiam fiunt. Quare aduerſus ea datur reſtitutio in integrum, cùm is metus illatus eſt, qui conſtantiſſimum quemque permouere potuit, non is quem quis falſo ſibi opinionis errore finxit. *cap. pen. hoc tit.* vani enim timoris non iuſta excuſatio eſt. *l. vani. ff. de reg. iu.* & is igitur qui non voluntatis inductione libera, ſed coactus beneficium ſuum reſignauit, aut electioni de ſe factæ renuntiauit, niſi iuriſiurandi religio interceſſerit, non prohibetur ius ſuum conſequi.

cap. 2.

cap. 2. *&* 3. Cùm iuſiurandum interceſſit, plerumque eius venia fit, vi aut metu probato iudici. *cap.* 2. *&* 8. *j. de iureiur.* Ita aduerſus nuptias, iuſtiſſima illa exceptio eſt, quòd per vim fuerint extortæ. *cap.* 15. *&* 28. *j. de ſponſal.* Ea quoque, quæ aduerſa voluntate monaſterium ingreſſa eſt, nihil ſibi obeſt, ſi non poſtea conſenſerit. *cap.* 1. *hoc tit.* Hoſtiæ ducuntur, non trahuntur ad aras; vt inquit Macrobius: & rectè Maiorianus imp. *N. de ſanctimon.* Obſeruatio philoſophiam religioſa mente ſuſcipiens, non cogentis imperio, ſed ſpontanea, & matura deliberatione capitur.

De in integrum reſtitutione.

Tit. 41.

SVperior titulus ſpecialis fuit: hic eſt generalis. Non ſolùm reſtitutio indulgetur in his quæ

vi vel metu facta sunt, sed in his etiam, quæ circunuentionis præ se ferunt specimen aliquod, licet doli abfuerit studium: maximè si fauor aliquis versetur, vt minoris, vt ecclesiæ, quæ minorum gaudet priuilegijs; quemadmodū rempublicā extra ordinē, vt pupillam, iuuari docet lex pen. *C. de iu. reipub. lib.* 11. Si itaque parata fuerit ecclesia, pretiū quod in eius rem cessit, & impensas vtiles & necessarias refundere; rem suam, quam vili pretio actor vel procurator eius proiecit, poterit repetere. *cap.* 1. quia non debet ex aliena negligentia damnum aut dispendium sustinere. Nec restituitur tantùm, cùm de bonis eius aliquid diminutum est, sed & in iudicijs, cùm aliqua exceptio omissa est, aut remedium contractum. *cap.* 3. & 7. quod ex iure ciuili totum est, vt & id quod constituitur *cap. vlt.* ne semel in integrum restitu-

tione petita, liceat ei qui victus est denuo illam postulare, nisi nouæ defensiones suppetant, aut eatenus petat, vt appellationem omissam peragere liceat. Cùm autẽ in integrũ restitutio petitur contra sentẽtiam, ea nihilominus interim exsecutioni mandatur præstita cautione. *cap.* 6. quod fit, quoties supplicatio admittitur aduersus senatus consultum, cum quis diuersæ partis dolum & circumuentionem allegat: nam interim curiæ decretũ vim suam & effectũ sortitur. Quæstione verò restitutionis in integrũ pleniùs agitata & iudiciali arbitrio discussa, remanet quæstio pristina, quæ rebus ad priorem statum redactis, alia sententia terminanda est, *cap.* 2. & ita separatur iudicium rescindens à rescissorio: quæ distinctio tamen nusquam prodita est, nec vllo iurisconsulti responso satis liquidè probatur: quin ea potius cõmen-

to antiquorum iuris ciuilis interpretum apertè introducta est, ex falso iuris intellectu: qui error ita peruagatus est, vt ferè pro iure legitimo cesserit, vt alia multa in his libris: quem & secutus videtur Innocent. 3. pontifex alioqui iuris peritissimus *in d. cap.* 2.

De alienatione iudicij mutandi causa facta. Tit. 42.

SPecies quoque restitutionis, est, quæ hoc titulo proponitur, qua dolus eius coercetur, qui ne secum agatur, rem de qua quæstionem se passurum arbitratus est, alienat, vt potentiorem aduersarium actori obijciat; eum videlicet, qui vel facilè conueniri non possit, vel aliqua fori se exceptione tueatur. Ius ciuile ex agentis arbitrio actionem dat in factum contra eum qui alienauit,

Digitized by Google

quanti interſit alium aduerſarium nõ habuiſſe: dolus enim pro poſſeſſione eſt, *l.27.§.ſed & n.ff. de rei vind.* vel etiam concedit eum conueniri, in quem res tranſlata ſit. Addit aliud Alex.3.*cap.*1.*hoc tit.* vt ex reſcripto quod contra primum poſſeſſorẽ impetratum eſt, in ius vocari is poſſit, qui ex alienatione poſſidere cœpit: quod & obtinet in eo qui rem, vel poſſeſſionem vi ablatam, ab eo qui interdicto vnde vi conueniri poterat, accepit.*cap.*11 j̃.*de iud. cap.pen.* j̃.*de reſt.ſpol.* qũod paſſim non obtinet: vt nec heres ex eo reſcripto conueniri poſſit, quo defunctus in iudicium vocatus non fuerat. *cap.36.* s̃. *de reſcr.* Generaliter ergo non licet actiones ſuas transferre, quò deteriori conditione aduerſarius ſit. *cap. vlt.* & hic titulus de ea alienatione eſt quæ facta eſt ante motã controuerſiam; rei enim litigioſæ & in iudicium

iam deductæ, alia ratione interdicitur alienatio; constituta dupli pœna in eum, qui in fraudem aduersarij id fecerit. *l. vlt. ff. de litig.*

De Arbitris. Tit. 43.

ARbitrorum duo sunt genera: vnum eorum qui ex æquo & bono necesse habent iudicare: & si arbitrium eorum prauum sit, manifestáque iniquitas in eo appareat, ad viri boni arbitrium, eo insuper habito redigi debet. *l. 76. §. vlt. cum l. seqq. ff. pro socio. l. 30. ff. de oper. libert.* Alterum eorum est, qui ex compromisso ius dicũt, quorúmque arbitrio, siue æquum sit, siue iniquum, necesse parendum est. *d. §. vlt. & l. diem 27. §. stari. ff. hoc tit.* Illos Harmenop. *lib. 1. cap. 4.* μεσιτεύοντας siue δοκιμαστὰς vocat; hos verò αἱρετὰς δικαστάς, quippe quos partium consensus, & pœnæ vinculum, quæ in stipu-

Digitized by Google

lationem deducitur, iudices faciat. Superiores illi ab ipſis partibus eligũtur, nec publico funguntur iudicandi munere. Alij ſunt, qui à Magiſtratibus dãtur, quemadmodum iudices ordinarij: & ideo plerumque iudicibus coniunguntur. §. 1. *de act. apud Iuſtin.* Illi addicuntur actionibus bonæ fidei, iudices iudicijs ſtrictis: & eam diſtinctionem notat Seneca lib. 3. de benef. cap. 7. *Iudicem formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: arbitri liberæ eſt, & nullis aſtricta vinculis religio.* Cicero etiam manifeſtius in orat. pro Roſcio Comœdo: *Iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrum hoc modo adimus, vt neque nihil, neque tantũ quantum poſtulamus conſequamur.* Inde iure ciuili frequens mẽtio arbitrorum in iudicio tutelæ, familiæ herciſ-

cundæ, cõmuni diuidundo, & alijs actionibus, quæ sunt bonæ fidei. Eandem differentiam Aristoteles assignat, *lib.* I. *Rhetor. ad Theodectẽ, cap.* 13. inter διαιτητὴν & δικαστήν· ὁ διαιτητὴς, inquit, τὸ ὅτι μὴ ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸ νόμον· διὰ τοῦτο ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη ὅπως τὸ ὅτι μὴ ἰσχύῃ. Sed & arbitri ipsi plerumque à iudicibus nihil differũt, sed promiscuè pro his accipiuntur, *l.* 1. *C. de sent. ex peric. recit. l.* 2. *C. de sent. et interlocut.* Ab eiusmodi arbitris appellari potest. *l. vlt.* §. *pen. ff. de appellat.* ab arbitris compromissariis non item, præterquam moribus nostris, quod docet maximi IC. consultatio 12. De arbitris autem cõpromissariis est tit. hic vltimus huius libri. Hi omnimodo legibus, & conditionibus cõpromissi adstringuntur, nec vltra id quod eo est comprehẽsum, euagari aut excurrere eorum officiũ potest. *cap.* 6. *hoc tit. cap.* 7. *j. de cõfirm. vt. vel*

inst. De cauſis maioribus nõ poſſunt iudicare, veluti de matrimonio, de cauſa liberali, de cauſa criminis: hæ enim quæſtiones ad ordinarios & maiores iudices pertinent. *cap. pen. ẽ. de in int. reſt. l. 32. §. Iulianus. ff. hoc tit.* De rebus ſpiritualibus in laicum nõ bene compromittitur: *cap. 8. hoc tit.* Arbitrorum impar omnimodo numerus eſſe debet, vt aliquẽ exitum iudicium ſortiatur: quod vix fieret, ſi his in diuerſa nitẽtibus, non eſſet qui alterutri accedendo ſententia ſua negotium omne cõponeret. Vnus igitur aut tres eligi debent. *cap. 1.* Extremum illud notandum eſt, quòd licet lex Iulia publicorũ iudiciorum prohibuerit, ne quis eius rei, cuius iudex eſſet, arbitriũ reciperet. *l. 9. §. 2 ff. hoc tit.* hoc tamen iure ſecus obtinet, *cap. 7. hoc tit. cap. 14. j. de præſumpt. cap. 21. j. de præbendis.*

PARATITLA IN LIBRVM SECVNDVM decretalium Gregorij noni Papæ.

De Iudicijs. Tit. I.

EXPLICITIS priore libro, quæ ad ſtatum perſonarum pertinere videbantur: expoſitis etiam eorum officijs, qui in eccleſia aliquam habẽt, vel dignitatem, vel perſonatum; atque his adiuncto tractatu de iudicibus ordinariis & delegatis, de illis qui apud eos agunt, de pactis etiam, & tranſactionibus, de cauſis reſtitutionũ aliquibus, atq; arbitris: ad iudicia Raymundus ſiue Gregorius tranſit: quorum

contextum & ordinem hic totus liber ſecundus complectitur. Ac primum præmittit titulum hunc generalem, qui ad omnes ferè ſequentes pertinet. Ex cap. 10. *inf. de verb. ſignif.* id in explorato eſt, iudicium omne conſtare, iudice, accuſatore, & reo. Accuſatoris vocabulum accipitur, κατηγορικῶς, pro actore, ſiue petitore: cùm accuſator propriè circa criminalia verſetur. Sic Cicero in orat. pro Quintio: *Poſſumus ita rem noſtram perſequi, vt hominis propinqui caput incolume eſſe patiamur: poſſumus petitoris perſonam capere, accuſatoris deponere.* Eadem ἀπολογία notanda eſt in l. 4. C. *de edendo*, vbi accuſare, agere eſt: & ita accuſatio pro actione ſumitur: *in l. pen. C. de prox. ſacr. ſcrin. lib.* 12. Vt verò iudex inter actorem & reum veluti diſceptator eſt: ita diſceptationes ipſæ, & concertationes

(quas Iusti. δικαστικὰς ἀγῶνας vocat, *N.* 115. *c.* 2. & cognitionalia certamina, *in l. vn. C. de Iustin. cod. confirm.*) iudicia vocantur: dum videlicet strophæ, antistrophæque, & periodi forenses peraguntur: dum negotium discutitur, dum causa tractatur, & hinc inde actor & reus intima & secreta negotij sui produnt, & aperiunt. Is igitur titulus, breue veluti compendium continet eorum, quæ postea titulis singulis latiùs Pontifex Gregorius exsecuturus est. Ideo de foro competenti in eo decretales multæ sunt; de modo item edendæ, siue proponendæ actionis: vt eius genus, speciem & nomen exprimere necesse non sit, sed tantùm factum ipsum simpliciter, & rei veritatem narrare. *cap.* 6. ita tamen vt incongrua non sit, & ita ineptè concepta, vt voluntas & libellus sibi inuicem aduersentur. *cap.* 15. requiri-

tur enim vt & apta rei, & negotio præpoſito competens ſit. *l. vn. C. Th. de omiſſa act. impetr.* Sunt item hoc titulo conſtitutiones de his qui legitimam in iudicio ſtandi perſonam non habent: vt is cui ſacris interdictum eſt agere non poſſit, poſſit tamen conueniri. *cap.* 7. vt monachi non inferant, aut ſuſcipiant actiones, ſine conſenſu & auctoritate Abbatis. *cap.* 9. De ratione autem & ordine iudiciorum, eſt titulus ferè totus.

De foro competenti. Tit. 2.

QVia primùm neceſſe eſt iudicis perſonam conſtitui, an eius rei ſit competens, de qua inter litigantes controuerſia eſt: ideo poſt titulum generalem de iudicijs, adiunctus hic eſt, de foro competenti. Forus, ſiue forum, ſimileute Iſidoro, eſt litium exer-

cendarum locus. Ius etiam dicitur, quia eo loci ius redditur, *l. pen. ff. de iust. & iu.* & ea in iure fieri dicuntur, quæ ἐν δήμαις, siue pro tribunali fiunt. Multis autem de causis diuersimodè quis forum sortitur. Primùm, id res ipsa constituit, de qua quæstio est. *cap. 3. & fin. l. 1. C. vbi in rem act. exerc. deb.* Ideò, cùm inter clientes quæstio est de re in beneficium, seu feudum concessa, feudi dominus ius dicit. *cap. 5. tit. super. c. 6. & 15. hoc tit.* nec aliter possunt ab eius iurisdictione se eximere quàm si requisitus iudicare supersederit. *cap. significantibus .38. sup. de offic. & pot. ind. deleg.* Ita obtinuit ex N. 80. τοὺς κτηματίους τοῖς γεωργοῖς διακρίνειν τὰ πράγματα, id est dominos causas agricolarum suorum disceptare. Domicilium etiam, forum constituit. *d. cap. fin.* Do-

Digitized by Google

micilium eo loci habere quis dicitur, quo larem, rerúmque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, *l. 7. C. de incolis. lib.* 10. Ratio poſſeſſionis aut patrimonij ſola, non conſtituit domicilium, niſi quis eo loci verſetur, *l. 17. §. ſola. ff. ad municip. l. 2. C. vbi Senat. vel clariſſ.* vt nec qui beneficium eccleſiaſticum alicubi habet, ibi habere domicilium creditur, *cap. 29. ſup. de reſcr.* niſi fortè beneficium ſit eiuſmodi, vt aſſiduum eius miniſterium requirat, quia illic commorari intelligitur. Sed & qui paciſcuntur, & contrahunt, ſibi plerumque forum conſtituunt, vt eo loci conueniantur, quo contraxerint, vel quo ſolui conuenit quod debetur, *cap. 7. hoc tit. l. contraxiſſe. ff. de obl. & act. l. 20. §. proinde. ff. de iudic.* Idem eſt de his qui propter delictum conueniuntur: deli-

ctum enim est contractus inuoluntarius, sine συναλλαγμα ἑκούσιον, vt ait Aristoteles *lib.* 5. *Ethic. ad Nicomachum cap.* 2. & ideo quæ ex eo oritur actio, dicitur oriri ex malo contractu. *l.* 52. *fi rerum. ff. de reiud.* Consequens est igitur, eo loci criminis causam agitari, quo facinus admissum est, *l.* 3. *ff. de offic. præsid. l. fin. ff. de noxal. act. l.* 1. *&* 10. *C. Th. de accusat. & inscript.* & ideo in criminibus non est locus præscriptioni fori, quia priuilegium eiusmodi reatus excludit. *l.* 1. *C. vbi Senat. vel clariss.* Id tamen Clerici priuilegij loco habent, vt coram Iudice Ecclesiastico sint omnimodo conueniendi, *cap.* 4. *tit. super. cap.* 2. *&* 12. *hoc tit.* Olim ex agentis arbitrio fuit, clericos coram sæculari, vel Ecclesiastico iudice conuenire. *l.* 25. *C. de Episc. & Cler.*

Nou.

Nou. Valent. de Epiſc. iudic. Poſtea ex N. Iuſtin. 83. obtinuit, vt in criminibus ciuilibus, homicidio, adulterio, furto & ceteris eiuſmodi, coram ſæculari iudice conuenirentur; in Eccleſiaſticis verò coram ſuo iudice, id eſt Epiſcopo. Simili ratione obtinet in hoc regno, vt delicta Clericorum eccleſiaſtica vindicet Epiſcopus, vel iudex Epiſcopi; alia ſæcularis poteſtas. Et illa quidem iure ordinario ad audiētiam iudicis Eccleſiaſtici referuntur: illorum verò cognitio dicitur competere iudici ſæculari ex priuilegio. Ideo & nouiſſimis Chriſtianorū Franciæ principum conſtitutionibus cauetur, vt iudex ſæcularis, dum cauſa criminis apud iudicem Eccleſiaſticum diſcutitur, ei adſit, & coniunctim iudicij ſolennia peragat, eiúſque demum criminis multum dicat, cuius & vindicta ad eum pertinet. Si clericus agat,

obtinet generalis illa iuris vtriuſque definitio, vt debeat ſequi forum rei, id eſt, iudicem ſæculare̅, ſiue in rem, ſiue in perſonam agat, *cap. 5. hoc tit.* Huius autem tituli (ne liceat ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν) euidens eſt vtilitas; nam neque confeſſio coram non ſuo iudice facta obſtringit confitentem, *d. cap. 4. tit. ſuper.* neque dicta ſententia. *l. 6. §. 8. ff. de iniuſt. rup. & irr. fa. teſt.* Conteſtatio item facta coram iudice non cõgruo, moram præſcriptioni non innectit. *l. pen. Cod. ne de ſtat. def. poſt quinq. quær.* quod ita tamen obtinet, ſi libellus conuẽtionalis cauſam petitionis non contineat: alioqui vtcumque rei alienæ poſſeſſor vocatus ſit ad iudicem incompetentem, longæ poſſeſſionis curſus inhibetur: cùm iam cenſeatur poſſidere mala fide, & rei alienæ conſcientiam habeat.

De Libelli oblatione. Tit. 3.

COnstituto iudice cõpetenti, consequẽs est dispicere, quo ordine apud eum agi debeat. At certum est instituendæ actionis cuiuslibet principium ab ea parte edicti proficisci, qua prætor edixit de in ius vocando. §. *omnium de pœn. te. litig. apud Iustin.* & id quidẽ olim fiebat per condictionis & denuntiationis ambages quasdam, quas postea nouissima iurisprudẽtia abrogauit. *Theoph. in §. appellamus. de act. apud Iustin. l. 6. C. Th. de denunt. & edit. recit.* Nunc quisque in ius vocatur libello conuẽtionis oblato, de qua re est titulus hic. Libellum reo actor porrigit, quo diem ei dicit, quâ sistere se debeat corã iudice, iudicij accipiendi, iurisque experiundi causa: ideo dicitur libellus conuentionis, reclamationis, po-

ſtulationis. *cap. 1. & vlt. hoc tit.* & Theophilo βιβλίον αἰτιάσεως. *in §. tripli. de act. apud. Iuſtin.* Græcorum nouiſſimis αἰτιᾶσθαι, eſt in ius vocare, eo vocabulo à criminalibus ad ciuilia etiam iudicia tranſlato. Libellus conuentionis dicitur quoque ὑπόμνησις, *vt in l. vlt. C. de in ius voc. & N. 123. cap. 27.* ὑπόμνησιν προσφέρειν eſt petitionis ſuæ ſchedulam aduerſario ſuo offerre. Id verò notandum maximè, quoties reus conuenitur actione in perſonam, nec cauſa libello comprehenſa eſt; debere ſtatim actorem in ipſo limine iudicij, eam notam reo facere, neque aliter cogi eum ſe defendere. *d. cap. vlt.* quod & in iudicio in rem obtinet pariter, vt in ipſo litis exordio, actor debeat perſpicuè rem quam petit deſignare. *cap. 2.* in qua ciuitate, in quo pago ſita ſit, quos duos vicinos

habeat, aruum quot iugerum ſit, vinea quot vites habeat. *arg. l. formæ. ff. de cenſib.* Denique rem ipſam quaſi indice digito demonſtrare debet, vt ſciat reus an ſua ſit, an liti cedere debeat, an verò ſibi dominiũ aſſerere contrà vindicando. Quod fluxiſſe videtur ab eo ritu, quo ſolẽne olim fuit litigantes in rem præſentem venire & rem ipſam veluti manu iniecta vindicare: quod in iure manum conſerere dicebant, vt Cicero autor eſt *orat. pro Muræna.* Gellius *libr.* 20. *cap.* 9. & alij. In mobilibus autem rebus plerumque datur actio ad exhibendum, quæ vindicationem præparat, quæque in hoc inſtituitur, vt res exhibeatur, & exhibita demum vindicetur. *l.* 56. *ad rem. ff. de procurat. l.* 38. *quod legatur. ff. de iudic. l.* 38. *ff. de pecul. l. pen. ff. depoſiti.*

De Mutuis petitionibus. *Tit.* 4.

REus actione aliqua vel reali vel personali conuẽtus, interdum mutuas actiones actori infert, per modum reconuentionis: quo factũ vt hic titulus subderetur. Mutua petitio Harmenopulo ἀντιπαγωγὴ dicitur, vt & in *l.* 5. *C. de fruct. & lit. exp.* quæ ex basilicis suo loco restituta est, & propter compẽsationis æquitatẽ infertur. *l. neque. C. de compensat.* Sed & mutua petitio eadem est ferè, quæ compensatio. *l.* 1. *C. rerum amot.* eô tamen inuicem differunt, quòd compensatio sit debiti liquidi, & confessi; mutua petitio verò eius, quod debetur quidem, sed nondum confessum, aut certum est. Mutuæ petitiones coram vno eodémq; iudice proponi debent. *cap.* 1. Nec potest,

qui prior ad iudicium prouocauit, excipere, quòd iudex, qui de causa principali cognoscit; eius rei de qua mutua petitio est, quæstionem non habeat: Cuius enim in agendo obseruat arbitrium, eum contra se iudicem consistere, non iure queritur. *l.* 11. §. 1. *de iurisd. omn. iud. l. pen. C. de sent. & interloc.* Reus similiter, qui actorē sibi esse obnoxium contēdit, vel coram iudice, ad quem ab actore vocatus est, intentionem suam proponere debet; vel expectare iudicij exitum, vt mox finita lite aduersarium suum coram alio iudice conueniat. *N. 66. cap. 2. cap. 3. de rescr. in 6.* Moribus autem Galliæ, non æquè in foro sæculari reus actorem coram eodem iudice reconuenire potest; ne ratio sit qua liceat quemque fraudare iurisdictione ordinaria, quæ ferè instar dominij & patrimonij possidetur. Inter eos igitur qui non

ſunt eiuſdem fori, reconuentio locum non habebit: nec iudicis iuriſdictio, qui de principali actione cognoſcit, prorogari poteſt, vt ad mutuam petitionem, quã reus inſtituit, fiat πρόσφορος ſiue competens: niſi per modum exceptionis, ſiue contractionis proponatur, & petitioni principali cohæreat penitus. At ſi inter partes, quæ ſunt eiuſdem fori, res agatur; vix audietur deſiderium eius, qui nolit inuicem rei actiones excipere, & aduerſus eas ſe defendere: quod eo magis eſt admittendum, quòd & actionum circuitus vitãdus ſit, & lites, quàm celeriter poteſt, debeant ad exitũ perduci. Sed corã arbitris compromiſſarijs omnino reconuentioni locus non eſt, quandoquidẽ iudicare non poſſunt, niſi de his ſuper quibus extitit compromiſſum. *cap. 6. ſup. de arbit.* hoc ita verò ſi nominatim de vna lite ſit

compromissum : Nam si de omnibus controuersijs, dubium non est, quin hinc inde petitiones omnes possint proponi.

De litis Contestatione. Tit. 5.

CVm reus & actor in iure sistunt se, & ad vadimonij diē occurrunt, tunc ad contestationem decurritur. Inde verò dicta est, vt Festus innuit, quòd duo pluréſve aduersarij coram Prætore testes aduocarēt, & ordinato solēniter iudicio dicerēt, Testes estote. Ea nunc fit per petitionē actoris in iure propositam, & rei contradictionem, vel responsionem. *cap. vn. hoc tit. vel vt ait l. vn. C. eod.* cùm per narrationem negotij, Iudex cœpit causam audire. Per facti positionem solam, & responsionem ad eam contestatio non fit. *cap. 54. §. licet. supr. de elect.* Non fit item, cùm reus mu-

tuam petitionem inſtituit, aut in iure proponit, ſed cùm ad mentem, ad intentionem agentis, πρὸς ἔπος, (vt loquitur Vlp. *in l. 11. de ætate. §. quod autem. ff. de inter. in in. fac.*) reſpondet: cùm collatis cauſæ firmamentis ambigit, & litigat: cùm recta via caput cauſæ petit, cùm δι' ὐθείας, denique cùm actionem aliqua exceptione eludit, vel defenſionis æquitate & iuſtitia repellit. Et quamuis libelli oblatio futuræ litis ſpeciem demonſtret, tamen initium cuiuſque iudicij eſt litis conteſtatio. *l. 5. ff. de pet. her.* dicitúrque litis exordium ſiue ingreſſus. *cap. 20. inf. de re iud.* & lis mota tunc dicitur, cùm eſt conteſtata. *cap. 30. ĵ. de verb. ſignif.* Ea ratione ſtipulatio amplius non peti non committitur, ſi aduerſarius in ius vocatus ſit, niſi iudicium acceptum fuerit, id eſt, niſi lis fuerit conteſtata. *l. 15. amplius.*

Digitized by Google

ff.rat.hab. Hæc duo, Iudicium accipere,& litem conteſtari, promiſcuè accipi ſolent, & idē prorſus ſignificant,vt in *l.*131.*cùm fundus. ff. de reb. cred. & alibi paſſim.* Interdum tamen litis conteſtatæ appellatione venit ipſa tantùm in ius vocatio, cùm cœpit moueri controuerſia, licet nondum ad iudicem res peruenerit, & litigatores nullum iuris ſui coram eo ediderint conteſtationem. *l.* 25. *ſed & ſi.*§.7.*ſi ante. ff.de pet.her.*

*Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitiuam. Tit.*6.

ADhibentur teſtes in pecuniarijs litibus, vel cauſis criminalibus. *l.* 1. §. 1. *ff. de teſtibus.* Cauſa ergo & lis eſſe debet, vt ad eas poſſint adhiberi. Non verò priùs lis eſt, quàm cùm res in iu-

dicium deducta est ab vtraque parte, id est, cùm lis est contestata, vt dictum est *tit. super.* & confirmat etiam *l. apertißimi. Cod. de iud.* Hinc Varro *lib. 6. de lingua Lat.* quibus res est in cõtrouersia, ea vocatur lis. His est consequẽs vt lite non contestata testes recipi non debeant: quod docet hic tit. & id quidem non satis liquidè & perspicuè constat iure ciuili; verumtamen per consequentias quasdam ea regula effici potest. Quin Innocentius tertius, iuris ciuilis Pontifex religiosißimus, (cuius sunt cõstitutiones omnes quæ sub hoc titulo sunt) *in capit. 4. infr. de confirm. vt. vel inut.* eam perinde ac iuri ciuili exploratam tradit. At vt illud receptum est, ita & id comprobatum, vt reus contumax, qui ad litem contestandam non accedit, aliquam pœnam subeat. Ea verò est, vt ei sacris interdicatur.

cap.1.sup.de iudic. cap.3.hoc tit. Ea est etiam, vt possit iudex, si ita ipsi federit, actorem custodiæ causa mittere in possessionē rei, quæ in controuersiam deducta est. *d.cap.3.& vlt.hoc tit. c.15. infr. de simon.* In actione etiam personali mittitur actor in possessionē bonorum rei, debiti seruādi causa, mobilium primò, mox & immobilium. *d. cap.vlt. ..vlt.l.2.ff. ex qu.cau.in poss.eatur.l 19.satisque. ff.de in ius voc. l. 51. eo tempore. ff.de peculio.* Constituriones autem Christianorum Franciæ Principum, aliter huic rei consuluerūt: nec passæ sunt faci[illegible] cuiquam possessionis suæ d[illegible] dicta causa irrogari, cùm pi[illegible] nō tam diffidentia causæ l[illegible], quàm quòd asperam & i[illegible] secundam improbi, & calum[illegible] litigatoris frontem pertimesc[illegible]. Præscribi verò cuiquam non p[illegible] test cur metuat (vt ait rectè Vlp-

in l. 4. ff. ad Trebell.) cùm variæ sint hominum voluntates, quorumdam negotia timentiũ, quorumdam vexationem. Hæ igitur constitutiones iubent reum, qui conteſtari litem non patitur, ab exceptionibus ſuis primùm excludi, eodémque iudicio copiam fieri actori, vt doceat fidem & rationem intentioni ſuæ conſtare, prolatis inſtrumẽtis vel teſtibus. Recipi ergo teſtes poſſunt, lite non conteſtata, cùm reus defenſionibus ſuis excluſus eſt: niſi dicatur iudicis ſententiam, qua id edicitur, pro litis conteſtatione eſſe; quod magis eſt, & cauetur etiam iure municipali Pariſiorũ. Sunt verò cauſæ quædam, in quibus etiam lite non conteſtata teſtes recipi poſſunt, dum periculũ eſt in mora, veluti in electione Prælati confirmanda, & in cauſa matrimonij. *d. cap. vlt. §. porro. hoc tit.* ne videlicet Eccleſia deſtituta

Pastore damnum & incõmodum in temporalibus & spiritualibus patiatur. *cap.* 41. *supr. de elect.* vel ne coniugum alter, qui ad vota properat, diutius eludatur. *l.* 2. *C. de sponsal.* Ideo hoc locum habet cùm de contractu, & fœdere matrimonij agitur, non cùm de distractu. *cap.* 1. *hoc tit.* Sunt casus item alij, in quibus necdum lite non cõtestata, sed nec mota controuersia, cùm suspicio est tantùm posse quæstionem moueri, testimonia admitti æquum est; veluti si testes aduersa valetudine laborẽt, si senes sint, si peregrini, & periculum sit, ne vel à rebus humanis subducãtur, vel peregrè profectorum postmodum non sit copia. *cap.* 34. 41. 43. *inf. de testibus.* Id fieri solet rescripto impetrato à Principe, vt cùm lis suo marte procurret, probationes in promptu sint, & in expedito.

Digitized by Google

De iuramento Calumniæ.
Tit. 7.

LIte conteſtata, ſuccedit iuramẽtum Calumniæ *cap. pen. hoc tit.* Id ab vtraque parte præſtatur: ab actore quidem, quòd calumniæ animo litem non mouerit: à reo, quòd putans ſe bona inſtantia vti, & rationem defenſionibus ſuis conſtare, ad reluctandum actori veniat. Ideo iuſiurandum hoc, opinionis magis eſt, quàm aſſertionis: nec qui non obtinuit, periurus dici poteſt rectè. Deſideratur autem, vt acres & vehementes litigantium impetus, ſacramenti religione & timore quaſi reſtincti conſidant, nec pertinaci ſpiritu calumniosè aut litem inferant, aut ſuſcipiant: quod etſi quiſque explorare debeat ſtudio recti & honeſti, tamen vt rectè dicitur

in

in *can. quamquam.* 23. *dist.* solet plus timeri quod specialiter polliceatur. Remittitur verò clericis, quibus omnino iurare non permittitur. *l.* 25. *C. de episc. & cler. can.* 1. 2 *q.* 5. vt nec dialem olim iurare fas fuit, vt narrant Plut. *in quæst. rom.* & Gell. *libr* 10. *cap.* 15. Seneca *cõtr.* 8. *lib.* 6. de virgine Vestali: *Sacerdos raro iuret, nec nisi per suam Vestam.* Procuratores tamẽ & syndici eorum rectè coguntur sacramẽtum hoc præstare, & ipsi etiam, si sui episcopi consensus accedat, & causam ipsi agant. *cap.* 1. § *pen. & cap. vlt.* & ita intelligendum videtur *cap.* 5. *hoc tit. & cap.* 3 *infr. de fideiuss.* In causis ecclesiasticis, in quibus de rebus spiritualibus agitur, non exigitur iuramentum calumniæ. *capit.* 2. *hoc tit.* quod tamen Bonifacio VIII. displicuit. *cap.* 1. §. *vlt. eod. tit. in* 6. quasi in his etiam maiori cautione vtendum fuerit, ne qua

fraudis & calumniæ ſuſpicio verſaretur. Sunt autem duæ ſpecies aliæ iuriſiurandi, quas in iudicijs ordinandis ius hoc admittit. Primum eſt iuſiurandum de veritate dicenda, quod ferè in quacumque parte litis, à iudice poteſt deferri partibus, vel teſtibus, eruendæ veritatis ergô. *cap.* 54. §. *partibus. &* §. *licet. ſup. de elect. cap.* 32. *infr. de iureiur.* Alterum eſt iuramentum malitiæ, *in d. cap.* 1. & *cap.* 2. *hoc tit. in* 6. quod nimirum defertur, de quacumque re, vel exceptione malitiosè propoſita; vt etiam indicio eſt *cap.* 13. *inf. de reſtit. ſpol.* At iure ciuili omnibus iudicij partibus, ſiue poſt litem conteſtatam, ſiue ante, occurrit iuramẽtum calumniæ, vt indicio ſunt loci quos enucleatè tangit magnus anteceſſor ad *N.* 49. circa finem. Iuramento calumniæ comparari poteſt *αὐτωμοσία*, quam teſte Harpocratione &

Pollucę, *libr.* 8. apud Athenienſes, hinc inde ex ſcripto accuſator & reus edebant: ὁ μὲν ὀμνὺς κατηγορήσειν, ὁ δὲ ὀμνὺς ἀπολογήσασθαι, quòd poteſt efficere, vt etiam in criminalibus hoc iuramentum admitti debeat. quod tamẽ idem anteceſſor negat *in recitationibus ad cap.* 1. *huius tit.* ea ratione quod accuſatorẽ ſatis vinculum inſcriptionis obſtringat, & reo omnia ſalutis ſuæ conſeruandæ gratia honeſta ſint. Sed iam obtinuit, vt omnino iuramentum illud in iudicijs non deſideretur, vt occurratur periurijs, quæ frequentiora fierent: eadémque ratio fuit eius tollendi quæ Iuſtiniano abrogãdæ legis Iuliæ miſcellæ. *l.* 2. *C. de ind. vid. & de l. Iul. miſc. toll.* aut Prætoti remittendæ conditionis iuriſiurandi, *l.* 8. *ff. de condit. inſt.*

De Dilationibus. Tit. 8.

DIlationes aliæ dantur ante litem conteſtatã, aliæ poſt. De dilationibus, quæ ad deliberandum ante litem conteſtatam conceduntur, eſt titulus hic. Iuſtin. *N.* 53. dedit viginti dies reo in iudicium vocato, intra quos iudicio adeſſet, & conſilium caperet, cedere an contendere deberet. Verùm quia interdum captio fiebat ei, qui ad iudicem extraordinarium ex reſcripto euocabatur, vt tam citò in iure ſe ſiſtere non poſſet, propter temporis illius breues inducias, id poſtea commiſſum fuit iudicis arbitrio, ex cuius mandato reus citari deberet, qui provt res tulerit, modò, lõgius modò reciſius tempus præſtituet. Id etiam ex locorum interuallo ſolent æſtimare apparitores, qui nullo mandato

iudicis præcedente, iuſſu tantùm actoris reo diem dicunt. Si igitur breues nimiũ ſint inducię, quibus debeat reus iudicio ſiſtere ſe, appellat rectè. *cap.*1. Sed & poſtquam reus venit in iudicium, ſi libellus ei oblatus cauſam petitionis non contineat, poteſt petere cauſam ſibi obligationis patefieri, & inducias ad deliberandum ſibi dari. Quòd ſi perſpicuè comprehenſa ſit, denegantur ei omnino. *cap. vlt. ſup. de lib. oblat. cap.*2. *&* 3. *hoc tit.* In ſumma autẽ illud conſtituendũ eſt, dilationes faciliùs reo indulgeri, quàm actori: cùm is potuerit tunc inferre controuerſiam, cùm omnia litis adminicula in explorato haberet; in rei verò poteſtate non ſit, quãdo lite pulſaretur, qui fortè præter ſpem ad iudicium eſt vocatus. *l. pen. C. de temp. in int. reſtit. l.* 5. §. *vlt. ff. de do. ma. & met. except.*

De Ferijs. Tit. 9.

POst titulum de dilationibus, rectè datur titulus de ferijs: nam & hæ dilationes sunt, quas ius & consuetudo litigantibus indulget: dies nimirum, quibus aures litibus vacare debent, insanáque iurgia procul abesse; quibus insuper habitis negotijs omnibus, religioni & cultui diuino vacandum est; quibus curæ sæculares sunt abijciendæ, vt mens libera Deo seruiat impensiùs. Ferijs opponuntur dies communes. *l.* 2. *C. de stat. & imag.* Prohibitũ est autẽ, ne diebus Dominicis mercatus, vel nundinæ habeantur, vel fiant alia, quæ manuum operam desiderant. *cap.* 1. *hoc tit. cap.* 81. *&* 145. *libr.* 1. *Capitular. Caroli magni, & libr.* 5. *cap.* 8. quod ad alios etiam dies feriatos est productum, *cap.* 3. *hoc tit.* Obtinuit

tamen olim his diebus nundinas celebrari, vt docet Cassiodori locus *lib.* 8. *epist. vlt.* de his qui ad natale sancti Cypriani peragendum venerant, & mercimonia secum attulerant. His diebus etiam interdicta sunt intempestiua cõuiuia. *can. commensationes.* 44. *dist. can. irreligiosa. de consecr. dist.* 3. *l. vlt. C. Th. de spectac.* D. Hieronymus *lib.* 1. *epist.* 35. quæ est ad Eustochium, *Valde absurdum est, nimia saturitate honorare velle martyrem, quem scias Deo placuisse ieiuniis.* Omne igitur artificij, aut ministerij genus debet quiescere, nisi necessitas aliud suadeat, aut periculum sit, ne maximæ cuiusdam commoditatis occasio subtrahatur. *l. cap.* 3. *hoc tit. & l.* 3. *C. eod.* Ideo cautione illa vtendum, quam apud Macrobiũ dedit Scęuola Pontifex iuris publici & priuati anxiè diligens, vt id tantùm ferijs agere liceat, quod omissum

Digitized by Google

noceret. Conſequens illud eſt ne conueniri quis, aut conuenire ijs diebus poſſit. *l.* 1. *&* 3. *C. Th. de execut. & exact.* vt item cognitio iudicialis impediatur. *cap. vlt. hoc tit. l. vlt. C eod.* Ferijs annumeratur tempus, quod meſſis, vindemiarúmque cauſa ſtatuitur: illis enim diebus, inuitus quis ad iudicium non venit, nec dicta ſentétia valet, niſi partes conſentiant. *d. cap. vlt.* aut tempore res ſit peritura. *l.* 1. §. *vlt. & ſeq. ff. hoc tit.* Feriæ de quibus ſuprà, ſunt ſolennes: Aliæ ſunt repétinæ, quas Harpócration in lexico vocat, ἔκτακτος ἑορτὰς, quæ videlicet extra ordinem indicuntur.

De ordine cognitionum.
Tit. 10.

SEquitur titulus hic, qui docet, quo ordine quamque actionem, vel exceptionem iudex dif-

Digitized by Google

finire deberet. Sũt præiudiciales actiones, quæ cùm in iudicium deducuntur, morantur & impediunt cauſam principalem. §. *præiudiciales. Inſtit. de act. l.* 24. *ordinata.* §. *fin. ff. de lib cauſa*, quemadmodum ſi familiæ herciſcundæ agatur, & frater quis vel coheres negetur, quæſtio fraternitatis priùs examinari debet. *l.* 13. *C. de probat.* vel quæſtio natalium, ſi quis ex connubio legitimo natus negetur. *cap.* 3. *hoc tit.* Eiuſmodi quæſtiones, licet magis incidant in litem de proprietate, quàm principaliter moueantur, tamen principales dicuntur interdum. *cap.* 7. j̃. *qui filij ſint legit.* quia nimirum ex earum diffinitione, & iudicio ſumitur, quid in alio iudicio quod ſuſtinetur, iudicandum ſit. Ita *in cap.* 1. *hoc tit.* ſi mulier aliquẽ vindicet in maritum, & is conſanguinitatem per modum contradictionis oppo-

nat, quæri primùm debet, & hinc quoque ſors iudicij pendet, an ſint conſanguinei. Quoties autem quæſtio aliqua ſtatus bonorum diſceptationi concurrit, poteſt eiuſdem iudicis arbitrio terminari, licet ad vnam ex his non ſit competens. *l.* 1. *C. de off. rect. prou. l.* 3. *C. de iud. l.* 1. *C. hoc tit.* At non æquè id poteſt fieri, ſi quæſtio vna pertineat ad forum eccleſiæ, alia ad forum ſæculare: nam ordine quæque ſuo, ſeparatis tribunalibus ventilari debet, *vt in d. cap.* 3. *hoc tit. & d. cap.* 7. *infr. qui filij ſunt legit.* & id quoque rerum ipſa documẽta & vſus admittunt. Porro in mutuis actionibus, eius deſiderium primùm audiri debet, qui priùs ad iudicium prouocauit. *capit.* 2. *hoc tit.* quod & obtinuit in mutuis accuſationibus, ſiue *ἀντικατηγορίας*, nam qui prior accuſatus eſt, innocentiam ſuam antè purgare

debet, quàm aduersarium aliquo crimine peragat. *l.* 19. *C. de his qui accus. non possunt*: nisi maius crimen is qui delatus est inter reos opponat ei, qui prior inscriptionem deposuit. *l.* 1. *Cod. eod.* quod & Gratianus. notat *in can. nun est. §. hoc autem. 3. qu.* 11.

De plus petitionibus.
Tit. II.

QVod hoc titulo proponitur, de plus petitionibus, ex iure ciuili totum est. Plus petitur quatuor modis. Primùm re, id est, summa, vel portione: cùm quis pro decem quæ ei debebantur, viginti petierit, aut, qui rei dominus est pro parte, totã eam vindicat. Secundò, tempore plus petitur, cùm festinantiùs quàm par sit, ante diem videlicet, vel conditionem, actio intenditur. Loco deinde, cùm non eo loci,

Digitized by

quo ſolui conuenit, actor agit, & vtilitatẽ eam promiſſori adimit. Cauſa denique, cùm genus debetur, ſpecies petitur: vel in ſtipulatione, quæ alternatim cõcepta eſt, electionem actor præripit, quam ex obligationis naturæ reus habet. Vtrolibet modorum iſtorum olim quis plus petiiſſet, cauſa cadebat omnino, vt teſtatur Paul. *lib.* I. *ſent. tit.* II. Poſteà Imp. Zeno, cùm plus tempore petitum eſſet, hanc tantùm actoris nimium præmaturè agentis pœnam eſſe voluit, vt inducię quas actor reo ex pactione conceſſerat, aut etiã natura actionis indulgebat, duplicarentur, §. *hodie autem. Inſtit. de except.* Iuſtinianus autẽ iuris antiqui duritiem emẽdauit omnino, & (probato eo quod ab Imp. Zenone ſancitum erat, de his qui tempore plus petiiſſent) in alijs modis conſtituit, eo adfici incommodo actorem,

qui plus petiiſſet, vt ſi quid damnum ea occaſione quocumque modo paſſus fuerit reus, eius triplum recipiat ab actore, §. *tripli.* §. *ſed hæc antea. Inſtit. de act.* Duobus tantùm caſibus ius antiquum obtinet, ſi quis eam cautionem, quam dolo quis ab aduerſario extorſit ſuper maiore pecunia quàm ei deberetur, in iudicium deduxerit, litémque ſit conteſtatus ex ea. *l. vlt. C. hoc tit.* Item ſi quis dolo malo plus petierit, vt lis à defenſoribus, qui intra certam ſummam iudicandi ius habent, ad præſidem tranſeat. *N. 15. cap.* 4. Sed & ex capitularibus Caroli Magni, *libr.* 7. *cap.* 224. qui quod ſibi debetur petit, nulla eiusquod ipſe inuicem debet, compenſatione admiſſa, cadit à debito; quandoquidem compẽſatio minuit debitum ipſo iure.

De cauſa proprietatis & poſſeſſionis. Tit. 12.

HIc titulus non eſt de modis, & cauſis acquirendi rerum dominij & poſſeſſionis; ſed de lite poſſeſſionis, & proprietatis inſtituenda, inſtruenda, definienda. Cauſæ itaque vocabulum hîc δίκην ſignificat, non id quod vocatur, τὸ αἴτιον. Id autem notandum, eiuſdem cauſæ, de poſſeſſione videlicet, & proprietate, vnum eumdémque debere eſſe iudicem, ne continẽtia cauſæ diuidatur. *cap.* 1. *hoc tit. cap.* 1. *inf. de ſeq. poſſ. & fruct. ex l. nulli. C. de iudic.* quod eſt accipiendum cùm lis agitur apud delegatos iudices: cùm enim apud ordinarios iudices, obtinet ſecus. *cap. vl.* s̃. *de iudic.* Ideo inualuit de poſſeſſione cuiuſque beneficij, in hoc regno regios iudices cognoſcere,

cauſa proprietatis examini iudicis Eccleſiaſtici reſeruata. Vt verò definiri primùm debet cauſa poſſeſſionis, deinde ea quæ proprietatem ſpectat. *l. ordinarij. C. de rei vindic. l. pen. C. de interd.* ita ſi fors ferat, vt de vtroque iudici conſtet pleniſſimè, eodem iudicio poteſt vtraque terminari, inter pronuntiandum poſſeſſionis iudicio, dicis tantùm gratia ſiue νόμῳ χάριν, præcedente. *cap.* 2. 3. 4. 6. Id ſummè notandum etiam, eum qui proprietatis cauſam inſtituit, poſſe nondum finita ea, ad iudicia poſſeſſoria recurrere, & interdictis recuperandæ vel adipiſcendæ poſſeſſionis ſibi poſſeſſionem adſerere. *cap.* 5. *hoc titul. cap.* 36. j. *de teſtib.* quod æquè eſt ex iure ciuili *in l.* 18. §. *vlt. ff. de vi & vi arm.* Finita quidem interdicti cauſa, remanet petitorium integrum, ſiue actio in rem de proprietate. *l.* 9. *C. de ſent. & in-*

ser loc. cap. pen. hoc tit. & ideo actio proprietatis, secunda actio dicitur, *l. vlt. C. quorum bon.* At longè commodius est possidere, & aduersarium ad onera petitoris cõpellere, quàm alio possidente petere. §. *& quia longe. Instit. de interd. l. 24. is qui. ff. de rei vindic.*

De restitutione spoliatorum. Tit. 13.

DIffert hic titulus à superiori, quòd is fuerit de omnibus interdictis in genere; hic verò solùm de interdicto vnde vi, quod Demosthenes, & alij ἐξούλης δίκην vocant, quódque cõperit ei qui vi, vel alio modo ab aduersario suo re sua spoliatus est. Differt rursus à titulo 40. lib. 1. qui propositus est de his quæ vi, metúsve causa fiunt: ille enim tunc habet locum, quando quis vi, vel metu illato rem suam, licet coa-

ctus, tradidit, vel ius suum à se abdicauit: hic verò cum quis nullo suo facto, commodo possessionis suæ priuatus est ab aduersario suo, qui eum inuitum & reclamantem vi expulit; & ideo interdictum hoc locum habet tantùm in re immobili, vel quæ immobilis vice fungitur. Eius autem interdicti ea vis est, vt fruſtrationibus omnibus amputatis, ſtatus ablatæ poſſeſſionis reformari debeat, *l.* 14. *ſi coloni*, C. *de agric. & cenſit. lib.* 11. Sic in *l.* 22. *C. Th.* quorum appel. non recip. *In interdicto quorum bonorum ceſſat licentia prouocandi, ne quod beneficio celeritatis inuentum eſt, ſubdatur iniurijs tarditatis.* Ideo de momento, id est, de poſſeſſione agentem nulla repellit compenſatio. *l. vlt. C. de compenſat.* reſtitutionem nulla moratur appellatio, *l. vn. C. ſi à moment. poſſ. fu. app.* nulla ſpontaneæ renunciationis, ſi de bene-

ficio agatur, reum tuetur exceptio, *cap. 3. & 4. hoc tit.* non si minus legitimam agentis, & beneficium repetentis institutionem alleget, non si crimen opponat, *cap. 5. 6. 7.* Sola obest spoliationis exceptio, si is qui conuenitur, proponat se ab actore spoliatum *cap. vlt. §. de ord. cognit.* vim enim vi licet repellere, & ablatam possessionem repetere, si modò id fiat in continenti. *cap. 12. l. 3. §. cùm igitur. ff. de vi & vi arm.* & in simili etiam delicto, deteriori loco eum esse oportet qui petitoris partes sustinet, vt ait Iurisconsultus eleganter *in l. 2. ff. ne quis eum qui in ius voc. est, vi eximat. l. 4. §. 13. Marcellus. ff. de do. ma. & me. exc.* Non solùm autem ante omnia spoliatus restituendus est, sed ei causa etiam omnis, & rei vtilitas præstari debet, & damna omnia resarciri, *cap. 11. & vlt.* quod plerumque ex arbitratu eius qui vim

passus est, dirimitur, sacramento ei præstito. *cap. vlt. §. de his quæ vi metúsve causa fiunt*: quod exiure ciuili est, *in l. si quando. C. vnde vi.*

De dolo & contumacia.
Tit. 14.

TItulus hic est de rei vel actoris dolo, & contumacia puniendâ. Contumax is est verè, qui tribus edictis, vel vno peremptorio pro omnibus, vt præsentiam sui faciat commonefactus, venire contemnit; vel dolo & fraude latitat, efficitque ne citatio ad eum perueniat, *l. 53. §. 1. ff. de re iudic. cap. vlt. §. porro sup. vt lite non contest. cap. 6. hoc tit.* Dicitur is quoque, qui à iudice interrogatus, & requisitus, aut tacuit, aut superbo ore negauit se iudicio stiturum. *cap. 1. sup. de iudic.* quasi iudiciariam authoritatem contemnere videatur: nam & contuma-

ciæ nomen dictum à contemptu, *l.* 12. §. *qui tacuit. ff. de interr. in iu. fac.* Sed & is etiam, qui cùm in iudicium vocatus eſſet à iudicio diſceſſit, relicto ſolummodò procuratore ad agendum, *cap.* 12. *ſup. de procur.* Denique contumax is eſt, qui viri boni arbitratu ſe non defendit, vel perfuſoriè, καὶ ὥσπερ ἐν παρέργῳ inſtitutam actionem perſequitur. Diuerſimodè punitur contumacia rei & actoris. Titulo 6. ſup. expoſitum eſt, quemadmodum rei contumacia coerceretur, qui non venit ad iudicium accipiendum. Alia verò ratio eſt coërcendi eiuſdem, ſi litem conteſtatam deſerat, & eremodicium contrahat: ea eſt, vt dictis & litteris ſolenniter euocetur, & demum eo abſente feratur ſententia diffinitiua, *cap.* 4. *hoc tit.* Ita epitome *N.* 65. edita ab Haloandro ſic habet, ὁ ἀναγράψας, εἰ ἀποκρυβῇ κατα-

Digitized by Google

δικαζέπω, δηλονότι κακὸν πρᾶγμα ἔχων, καὶ πρὸ καταρξάμενος, καὶ κληθεὶς νομίμως, καὶ μὴ ὑπακούσας. Ea ratione edicta illa (de quibus in l. 68. & seq. ff. de iud. & in d. l. 53.) accipienda sunt, de eo qui contumax est, post litem contestatam; quod indicant satis clarè Harmenop. *lib.* 1. *tit.* 4. §. 12. & Eustathius *lib.* περὶ χρονικῶν διαγραμμάτων, *tit.* περὶ δέκα ἡμερῶν· dum ea proponi aiunt, μετὰ πλὴ πρὸ καταρξιν, id est post iudicium acceptum, siue post litis contestationem: indicat etiã l. 74. *eod. tit.* quæ ait, his edictis impetratis, causam omnimodo agi, & interdum secundum absentem reum pronuntiari. Non potuit vlla esse causæ disceptatio: non potuit absens reus vincere, nisi post litem contestatam, quia tum demum de eius defensionibus liquet. Ab hac autem sentẽtia non

licet omnino appellare. *l. properandum. §. sin autem. C. de iudic.* & ita Iustinianus rectè *N.* 82. Τοῖς κατὰ παρέπτειαν ἀπολειφθεῖσιν ὁ τῶν ἐφέσεων δόμηνται λόγος. At non semper fertur sententia definitiua in reum contumacem, sed interdum iudex si non satis ei de causæ meritis cõstet, actorem etiam post litem contestatam mittit in rei petitæ possessionem, vel bonorum omnium, si personali actione reus conueniatur. *d. cap. 4. hoc tit. & l. 8 C. quom. & qu. iud.* Quod ad actorem pertinet, siue vadimonium, siue inchoatam litem, id est contestatam deserat, postquam litteris euocatus est, omnino causa dirimitur, rei allegationes audiuntur, suáque actione excidit penitus. *N.* 112. §. *vlt.* Ideo testes etiam contra eum lite non contestata recipiuntur. *cap.* 3. Quod & fit in causa crimi-

nali contra reum, cùm per inquisitionem de crimine agitur, *cap.* 8. & ita in his duobus casibus occurrit, vt regulæ quæ tradita fuit d. tit. 6. §. non sit locus. Illis addi potest & tertius, si de ecclesiastico beneficio agatur: tunc enim ob solam contumaciam rei actor in possessionem non mittitur, sed prius de iure suo docere debet: quo præstito, etiam lite non contestata sententiam ferre iudex potest. *cap. vn. de eo qui mitt. in poss. causa rei seru.*

De eo qui mittitur in bonorum possessionem causa rei seruandæ. Tit. 15.

QVod titulus superior proposuerat, id etiam latiùs exsequitur titulus hic, de eo qui mittitur in bonorum possessionem rei seruandæ gratia: nam &

id vt plurimùm conſtituitur in eos, qui contumaces ſunt, ſiue ante, ſiue poſt litem conteſtatam, vt mittatur actor in poſſeſſionem petitæ rei, eius ſeruandæ cauſa, denuntiatione primitus facta domi aduerſarij, vel ad ipſum prædium. *cap. vlt. l. 4. §. prætor. ff. de damno inf.* Qui miſſus eſt, anni ſpatio in poſſeſſione eſt: poſt annum iubetur ex ſecundo decreto poſſidere, niſi reus intra annum iudicio ſiſti cautionem præſtare paratus ſit, aut per eum non ſtetterit quo minus præſtaret. *cap.* 1. *&* 2. Mittere in poſſeſſionem, & iubere poſſidere diuerſum eſt, *l.* 7. §. 1. *ff. de dam. inf.* Qui miſſus eſt in poſſeſſionē, rei tantùm incumbit, nec mutatur ſtatus poſſeſſionis: non expellitur reus, ſed cum eo actor poſſidet. *l.* 5. *ff. vt in poſſeſſ. leg.* Cicero pro Quintio: *Proficiſcenti tibi in poſſeſſionem Prætor iſte,*

Sexte Næui, palam dicit: ita poſſideto, vt tecum ſimul poſſideat Quintius: ita poſſideto, vt Quintio vis ne afferatur. At cùm interceſſit ſecundum decretum, cùm actor poſſidere iuſſus eſt, deijcitur reus de poſſeſſione. *l. 15. §. 20. ſi quis. & §. 23. vbi autem. ff. de damn. inf.* Tunc etiam ad onera petitoris reus compellitur, commodo poſſeſſionis in actorem tranſlato, *cap. vlt. §. quòd ſi cautionem. 5. vt lite non conteſt. cdp. pen. tit. ſuperiori.*

Vt lite pendente nihil innouetur. Tit. 16.

NIhil his obeſt titulus hic, quæ ſuperioribus conſtituere: ea ſiquidem obtinent, cùm iudicium agitur *μονομερῶς*, & peruicax rei contumacia æquitatem iudicis mouet ad aliquid ſtatuendum. At cùm *διπλοῦρως* iudi-

cium agitur, id est cùm partium vtraque iudicio stare parata est; verum est quod hic proponitur, nihil immutari, nihil lite pendente innouari posse. Ideo in ea possessione, aut quasi possessione quisque manere debet, quam initio litis habuit. *cap.* 1. *hoc tit. cap.* 4. *inf. de fide instr. can. vn.* 8. *qu.* 4. maximè, si is qui possidet, dolo careat, id est, nec vi, nec clam, nec precariò, ab aduersario possideat: nam hoc si sit, ad interdicta recurritur, quibus res ad pristinum statum reuocetur. Ita pendente causa matrimonij, debet illius interim manere integer status. *cap.* 2. *hoc tit.* datis si secus fiat vindicijs secundum illud. *cap.* 4. s. *vt lite non cont. cap.* 8. 10. 13. s. *de restit. spol.* neque licet ante sententiam diuortij, ad alia vota transire. *can. multorum.* 35. *qu.* 6. *cap.* 10. *inf. de sent. & re iud.* Non licet etiam rem, de qua contro-

uerſia eſt, ante cauſæ exitum alienare, vel in alium transferre. *can. vlt.* 11. *qu.* 1. *cap.* 3. *& hoc tit.* Eadem ratione, non conceditur ſupplicare Imperatori lite pendente. *l.* 6. *C. Th. de appellat.* & Iuſtinianus, *N.* 82. 113. 125. vetat ἐν μέσῳ δείοις τύποις γίγνεσθαι. quod & ſequitur ius iſtud, quo quis prohibetur cauſam ſuam nouis priuilegijs poſt litem conteſtatam impetratis communire, ita vt liti motæ nullum poſſint inferre præiudicium. *cap. vlt. hoc tit. cap.* 19. *inf. de teſtib.* Denique & illud etiam explorati iuris eſt, ex his quæ poſt inchoatum iudicium accidunt, non debere iudicis animum ad ferendam ſententiam informari. *cap.* 3. *de ſent. & re iudic. in* 6. quod ita verum eſt, vt ſi ſententiam latam prouocatio ſubſecuta fuerit, & pendente cauſa appellationis lex noua aliqua fuerit ſuborta, quæ ius

vetus (ex cuius præscripto sententia fortè dicta erat) abroget: iudex nihilominus, qui appellationis disceptator est, eam legem sequi debeat, quæ dicendæ sententiæ tempore obtinuit, non eam, quæ post sententiam à qua appellatum est, inualuit, vt est constitutum *N.* 115.

De sequestratione possessionis & fructuum. Tit. 17.

QVæ hoc titulo traduntur, exceptionem continent eorum quæ docuit superior: nam si is qui possidet de dilapidatione suspectus sit, & re quæ in controuersiam vertitur, malè vtatur, dum fore arbitratur vt iudicio inferior sit, vt ab eo ad aduersarium possessio transeat re iudicata: tunc etiam lite pendente, & in eius limine, apud sequestres deponi debet. *l.* 7. §. *vlt. ff. quisa-*

tisd. cog. l. fin. C. de ord. cognit. can. fin. 3. qu. 2. Sic in bonorum possessione, quæ ex Carboniano edicto filio impuberi datur, cùm satisdare non potest, curator constituitur per quem bona administrentur. *l. 5. sed si. §. quoties. ff. de Carbon. ed.* Id etiam fit vt plurimùm, cùm is qui possidet victus est, & fortè frustratoria appellatione moratur rei restitutionem. *l. 21. §. vlt. ff. de appel. cap. vlt. hoc tit. can. quoties. 2. qu. 6.* quo casu plerumque etiam possessio in actorem transfertur, si reus duobus iudicijs superatus rursus prouocet. *l. vn. C. Th. de possess. ab eo qui bis prouoc. transfert.* si vno tantùm iudicio, pendente appellatione remanet possessor. *l. 15. sciendum. §. pen. ff. qui satisd. cog.* Hac ratione, si actor missus in possessionem ex fide bona fructus rei non asseruet, reuocatur possessio, & sequestro commendatur.

cap. 2. *hoc tit.* Sed & propter rei contumaciam, interdum non mittitur actor in possessionem, sed res sequestro ponitur. *cap.* 2. §. *de dolo & contum.* Postquam verò semel missus est, nec causa subest, cur possessio ab eo reuocari debeat, non rectè fit sequestratio. *cap.* 1. *hoc tit.* Non autem indicitur tantùm sequestratio cùm de rebus mobilibus agitur, vel immobilibus; sed etiam cùm agitur de statu personarum: veluti cùm agitur interdicto de liberis exhibendis. *l.* 3. §. *vlt. ff. de lib. exhib.* & hoc iure etiam, cùm agitur de fœdere matrimonij, & mulier iniuriarum, & malæ tractationis suspectum maritum habet; donec res iudicatur, curæ & custodiæ probæ & honestæ existimationis fœminæ committitur. *cap.* 8. §. *de rest. spol. cap.* 14. §. *de sponsal.*

De Confessis. Tit. 18.

CONtra confitentem nullæ sunt partes iudicis; nam pro iudicato est, qui se sua sententia condemnat. Vt verò confessio noceat, id primùm exigitur, vt pro tribunali, siue in iure facta sit: ideóque quoties confessi pro iudicatis habentur, id adijcitur semper, vt in iure confessi sint. *l.* 1. §. *quid si in lite. ff. si quid in fr. patroni. l.* 1. §. *largius. ff. de succes.* ed. *l.* 4. *C. de repud. vel abstin. hered.* Quæ itaque facta est extra iudicium, ea confitenti præiudicium nullum infert, nisi fauor piæ causæ intercedat, aut diuersis vicibus fuerit geminata. Non obest etiam quæ fit aduersario absente, si procurator, aut eius nomine alius præsens non sit. *l.* 6. §. *si quis absente. ff. hoc tit.* Non obest ea etiam quę facta est coram iudice,

qui non eſt competens. *cap.* 4. s̃. *de iudic.* Non obeſt item ea, quæ manifeſto errore, facti imprudenti ſyndico, vel cognitori excidit, *cap. vlt. hoc tit.* Confeſſis proximi ſunt hi, qui iudicium fugiunt, & ideo pro damnatis habentur, *l.* 28. §. *fin. ff. de bo. libert. can. decernimus* 3. *qu.* 9. *cap.* 4 j̃. *de præſumpt.* Iuſtinianus N. 53. *cap.* 4. ὁ ἀναγράφως κατήγορος ἑαυτὸν τῇ φυγῇ ὑπέταξε. *Sunt multi* (vt de hæreticis quibuſdam ait D. Hieronymus, *in Ep: taph. Marcellæ*) *qui abſentes damnari, quàm præſentes coargui malunt.* Ideo Diuorum Apoſtolorũ can. 74. conſtitutum eſt, vt condemnetur Epiſcopus, qui ad ſynodum ter vocatus venire contempſit; ὅπως μὴ δόξῃ κρδαίνειν, φυγοδικῶν. Non perinde verò ſemper in criminali quæſtione vltro de maleficio confitenti fides habetur, *l.* 1. §. *ſi quis vltro. ff. de quæſt.* Non credi-

creditur etiam eis aduerſus alios, qui de ſe confeſſi ſunt, imò nec interrogantur quidem de aliorum conſcientia, *l.fin.C.de accuſat. cap.* 1. *hoc tit.* quod etiam Franciæ antiqua inſtituta ſanxerunt, vt docet Yuo Carnotenſis Epiſcopus *ep.*196. *&* 229. & docent etiam Capitularia Caroli Magni, *lib.*5.*cap.* 161. *& lib.*7.*cap.*140.

*De Probationibus. Tit.*19.

SI reus non confiteatur de intentione actoris, actori incumbit probandi neceſſitas : & hinc titulum de confeſſis, ſequitur titulus de probationibus. Probat actor; nam eo non probante, is qui conuenitur, etſi nihil præſtet, à iudicio abſoluitur. *l.* 4. *C. de edendo.* & hinc quoque dicitur negantis, id eſt, rei, nullam eſſe directam probationem. *l.actor. C. hoc tit. cap.* 25. *ſup. de elect.* Rurſus pro-

bat actor, adminiculis & instrumentis, quæ ipse adfert in iudicium: nec enim desiderium eius admittitur, qui petitionis suæ originem ex instrumento, quod penes reum est, docere velit. *l. nimis. C. de testibus, cap.* 1. *hoc tit.* Cùm de exceptione probanda quæstio est, licet in ea reus actor sit, potest tamen ab actore desiderare instrumentum, quo defensioni suæ fidem constare ostendat. *l.* 5. *& vlt. C. de edendo.* Potest inuicem actor postulare vt reus edat propria instrumenta, vel rationes suas, ad fundandam, aut formandam replicationem exceptionis à reo propositæ. *l. pen.* §. *vlt. ff. ad legem Falcid.* Plerumque partes admittuntur ad probationem ex concursu. *cap.* 26. *tit. seq.* quod fit maximè in iudicijs duplicibus, veluti finium regundorum, & in interdictis possessorijs, quæ duplicia quoque sunt, in quibus vtraque

pars ſibi poſſeſſionem aſſerit. *cap.* 3. *&* 9. *hoc tit.* At poſtquam atteſtationes ſemel fuerunt receptæ, & publicatæ, aut vnius probatio eſt admiſſa, non æquè licet contra probationem legitimam, aliam in contrarium admittere. *cap.* 6. *&* 12. Probatio fit libris antiquis, id eſt, inſtrumentis, teſtibus, & fama, aliiſque adminiculis. *cap.* 13. Fama eſt rumor ſine autore diſperſus, Cic. lib. 12. epiſt. *Fama nuntiabat te eſſe in Syria; auctor erat nemo.* Idem lib. 15. vocat rumores ἀδεσπότους. Fama cùm multorum conſenſum habet & veluti publicum teſtimonium, auget & confirmat rei, de qua quæritur, fidem, *l.* 3. §. *eiuſdem. ff. de teſtibus, cap.* 27. *tit. ſeq.* Non tamen cedit in vicem iuſtæ probationis, *cap.* 27. *f. de ſponſal. c.* 5. *f. de eo qui cogn. conſang. vx. ſuæ vel ſponſæ:* ei enim plerumque fraude inimicorum falſa vulgantium malignitas inimica,

incrementum verò dat credulitas, vt ait Quintil. *lib. 5. Instit. orat.* De alijs probationum generibus, tractant sigillatim tituli sequentes.

De Testibus. Tit. 20.

PRimus occurrit de testibus. Eorum in iudicijs autoritas summa est, vt propè fidem scripturæ vincant. *cap.* 10. §. *porro.* ĩ. *de fide instru.* Iustin. N. 73. *cap.* 3. οἰόμεθα τὰ διὰ ζώσης φωνῆς λεγόμενα καὶ μὲθ' ὅρκου, ταῦτα ἀξιοπιστότερα τῶν γραφῶν αὐτῶν κατ' αὐτῶν τυγχάνειν. Illic tamen constituit, vt iudex perinde vt afficietur, modò tabularum, modò testium fidem sequatur. In testibus requiritur, vt omni criminis labe careant; vt fid & authoritate cæteros præcellant; vt non odio, metu, gratia, pecunia corrupti ad testimonium accedant, *cap.* 1. 5. 13. 22.

§3. & vlt. In vna eadémque cauſa, non poteſt quis eſſe accuſator & teſtis; & ideo ſi ex delegatis aliquis teſtis citetur, ab vno ex litigantibus, perſonam iudicis exuere debet, vt teſtem agat, & in eius locum alius ſubſtituitur, qui iudicantis officio fungatur. *cap.* 40. Eadem ratione, non poteſt idem eſſe accuſator & teſtis, niſi in his quæ magis ſpectant emendationem delinquentis, quàm priuatæ vel publicæ iniuriæ vindictam. *cap.* 4. In qualibet autem cauſa, fides fieri debet duobus aut tribus teſtibus: quod lege Dei primùm eſt introductum: ita enim *cap.* 19. *Deuteronomi.* cautum eſt, ὅτι στόματος δύο μαρτύρων καὶ ὅτι στόματος τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. Et id quidem ita vt ſibi inuicem conſtent nec diſſentiant; nam eorum non valet teſtimonium qui in ſuis teſtimoniis ſun-

gulares exiſtunt. *cap.* 32. ſ. *de elect.* Arnulphus ep. 9. *Probationis priuilegium ſolitaria teſtimonia non merentur.* Vnius etiam teſtimonium, quantumcumque notæ auctoritatis ſit, non admittitur. *cap.* 23. 28. 47. *l. iuriſiurandi. C. hoc tit.* Seneca lib. 7. Contr. 1. *Vni teſti etiam de minore ſcelere non creditur.* Excipiebatur olim Epiſcopus, qui ſolus admitti potuit, propter honorem ſummi ſacerdotij. *l.* 1. *C. Th. de Epiſcop. iud.* ex qua ſumptũ eſt quod Gratianus refert. *in can. omnes.* 11. *qu.* 1. Non audiuntur teſtes niſi iurati. *cap.* 39. 51. *& d. l. iuriſiurandi:* non audiuntur item, niſi præſentes rei fidem faciant: ideo nec per epiſtolam teſtimonium dicere poſſunt, vt cauetur *cap.* 141. *lib.* 6. *cap. Caroli Magni*, & in reſcripto Imp. Hadriani id continetur, ne teſtimonijs, ſed teſtibus tantùm credatur. *l.* 3. §. *idem Diuus ff. de teſtib.* Domeſticum quoque repro-

batur testimonium, *l. etiam. C. hoc tit. cap. 24. hoc tit.* ea ratio est, quòd domesticis testibus imperari possit, vt testes fiant. In his tamen quæ domi geruntur, cùm aliorum assertione nequeant patefieri, eorum testimonium admittitur. *l. 8. consensu. §. super plagis. C. de repud.* Ita in causa vniuersitatis singuli, in causa ecclesiæ clerici ferre testimonium possunt, *cap. 6. 12. hoc tit. cap. 5. tit. superiore.* quod admittitur maximè deficientibus aliis probationibus. *cap. 26. §. vlt. ĵ. de iureiur.*

De testibus cogendis vel non. *Tit. 21.*

RECTÈ Iustinianus, N. 90. τῶν μαρτύρων τοῖς τὰς ἀπο-δείξεις χρεία ἐξδύρηται, διὰ τὸ μὴ λαμβάνειν τι ῥᾳδίως τὸ πρᾶγμα δικαίων. His est consequens, vt debeat co-

gi vnusquisque eius rei fidem facere, cuius scientiam habet: nec enim reus est minùs, qui veritatem occulit, quàm qui mendacij fraude aliquem circumuenit. *cap. 13 de falsis.* Ex legis 12. tabularum fragmentis id constat, eum qui à quolibet fuisset aduocatus, vt rei cuilibet agendæ testis adesset, si postmodum eius rei, cui testis adhibitus esset, testimonium renueret, improbum & intestabilem esse, id est, testamenti faciendi ius amittere, neque vlla in re postmodum eius testimonium valere. Athenis etiam, Polluce autore, fuit δίκη λειπομαρτυρίου, seu actio deserti testimonij, contra eos, qui vocati, vt actæ rei testimonium ferrent, iudicio adesse supersedissent. Iidem Athenienses ἀπαγωγὴν dicebant, τὸ εἰς κρίσιν ἄγειν, ἵν' ἐπανάγκες ᾖ μαρτυρῆσαι, vt tradit Harpocration; idémque

autor eſt in verbo κλητοδύτης & κλητῆρες, ei mille drachmarum multam indici, qui teſtimonium detrectaſſet. Sed & *in l. 4. ff. quem adm. teſtam. aper. & l. 3 §. 9. exhibere. ff. de tab. exhib.* cùm aperiendæ ſunt tabulæ teſtamenti, ſignatores eius, id eſt, teſtes, qui teſtamento adhibiti fuerunt, cogit Prætor vt conueniant, & ſigilla ſua recognoſcant. Verùm id fortè de his, qui vocati ab initio teſtimonium in ſe receperunt, quíque voluntarij dicuntur à Quintiliano *lib. 5. cap. 7.* Ceterùm olim præterquam in criminalibus cauſis non obtinuit cuiquam inuito teſtimonium denunciari. Iuſtinianus verò conſtitutione *l. 16. C. de teſtibus* (quam magni nominis iuriſconſultus Cuiacius ex Baſilicis reſtituit *lib. 8. obſ. cap. 13.*) cauit, vt quemadmodum in criminalibus quæſtionibus, ita etiam in ciuilibus cogeretur quiſque coram

iudice eius rei exponere veritatem, de qua ei constaret; hoc est siue rogati negotio adfuissent, siue fortuna eos obiecerit, dum quid ageretur. Hoc autem iure, non passim cogi testes ipsa tituli huius epigraphe satis docet. Coguntur igitur tantùm, cùm vel gratia, vel inimicitijs dantes, aut etiam aduersarij metu conterriti testimonium detrectant, *cap.* 1. 3. 6. 9. *& pen.* Aliâs monendi sunt potius, quàm cogendi, vt veritatem adserant, nisi fortè inopia probationum vrgeat. *cap.* 5. Coguntur laici districtione Ecclesiastica, id est interdicto, seu excommunicatione, *d. cap.* 1. Clerici verò per suspensionem officij, & beneficij, & si nimia sit eorum contumacia, à sacris etiam arcentur, *cap.* 2. & ita licet prohibeantur Clerici rerum & negotiorum sæcularium testimonium in se recipere, & conficiendis iustrumentis vt te-

ſtes adhiberi non debeant, ſi tamen ex euentu rei cuiquam peragendæ interfuerint, vel quid viderint, aut audierint, tenentur eius fidem facere, ſi non ſit aliunde eorum copia, qui illud idem in iudicio adſerere poſſint. *can. vlt. 14. qu. 2.* Sed & hi qui teſtes impediunt, quominus teſtimonium perhibeant, canonica vltione percelluntur, *cap. 37. & 45. tit. ſuperiore.* Iure ciuili non conſtitit (ne quidem poſtrema conſtitutione, d. l. 16.) quemadmodum coerceretur teſtium contumacia, qui ad iudicium vocati venire detrectarent. Verùm procliue & pronum eſt tentare, id factum captis pignoribus: quod genus coercitionis in iudicijs frequentius fuit, vt paret ex §. pen. *Inſtit. de ſatiſd. tut. l. 5. ſi quis* §. 10. *ſi quia ff. de lib. agn. l. 1.* §. *quid ergo ff. de ventre inſpic. l. 4* §. 2. *ff. de dam. inf. l. 9. ſacrilegi.* § *fin. ff. ad le. Iul. pec.* Hodie ex arbitrio iudi-

cis, in foro ſæculari, multa dicitur ei, qui teſtimonij detrectandi cauſa, iudicio ſe ſubtrahit.

De fide inſtrumentorum.
Tit. 22.

NOn ſolùm teſtibus, ſed etiam inſtrumentis fidem intentioni ſuæ quemque aſtruere docuit titul. de probationibus, & docet etiam Iſidorus. *cap. forus. j. de verb. ſign.* Inſtrumenti vocabulum hîc tabulas denotat, & titulus propè omnis eſt de tabularum fide. Aliâs inſtrumenti nomine id venit omne in genere, quod cauſam rei vel actoris inſtruit, vt eo etiam teſtes contineantur. *l.* 1. *ff. hoc tit. cap.* 4. *tit. ſuperiore. l. notionem.* 99. *§. inſtrumentorum. ff. de verb. ſign.* Ita probatio quæ ſcripto fit, dicitur teſtimonium ἔγγραφον, vt ea quæ teſtibus fit, dicitur ἄγρα-

φος μάρτυρία. *l.* 1. *C. de teſtibus.* Vt autem inſtrumentum fidem facere poſſit, debet exarari manu publica, aut ſigillo authentico ſubſignari. *cap.* 2. Debent etiam publica inſtrumenta habere diem & conſulem. *lib.* 6 *Capitul Caroli Magni. cap.* 146 & 147. At in priuatis cautionibus, non æquè id exigitur. *l. pen.* §. *pen. ff. de pign.* Idque Modeſtinus reſpondit etiam in teſtamento, ei non obeſſe, quominus valeat, quòd dies & Conſul adiecti non fuerint, vt conſtat ex fragmento lib. 3. regularum. Cùm in inſtrumento certa ſunt omnia, vna tantùm littera deeſt, aut litura eſt aliqua in loco non ſuſpecto, nihilominus remanent eius vires integræ. *cap.* 3. 11. *l.* 54. *qui habebat. ff. de manum. teſtam.* At tum demum fides detrahitur cùm mancum eſt, cùm in locis quibus fit mentio diei & conſulis, vel nomina contrahentium adis-

cta ſunt, deletum quid eſt, aut eius contextus, & ſcriptura non eiuſdem manus operam refert. *cap. 6. hoc tit. cap. 7. j. de relig. domib.* Quod ad ſcripturarum diuerſitatem attinet, ſi varia inſtrumenta proferantur, non idoneum ſemper falſitatis præbet argumẽtum: nam vt rectè Iuſtin. *N. 73. in pr.* τῶν χαμμάτων πολλάκις ἀνομοιότητα χρόνος ποιεῖ (ὁ γὰρ αὐ ὕπως χαίρειος νεάζων καὶ σφεγγῶν, καὶ χαμηρὰς, καὶ ἴσως ὑπερμῶν.) πολλάκις ὑπὸ καὶ νόσος τοῦτο ποιήσειεν, ὀμμάτων καλάμου τε καὶ μήκους ἀνάγκη, τὸ δ' ὁμοιότητος διὰ πάντων ἀκριβὲς ἀφείλετο. Cùm verò periculum eſt, ne inſtrumentum aliquod veruſtate nimia deteratur & vitium incurrat; iudicis authoritate, vocatis his quorum intereſt, poteſt renouari. *cap. vlt. hoc tit. cap. 14. j. de confirm. vt. vel inut.* Sed & propter alias cauſas id fieri plerumque neceſſa-

rium eſt: ne ſi caſu aliquo authenticum pereat, probationis omne adminiculum intercidat. §. *ſed & vnum. de teſtam. apud Iuſtin. l.* 47. *Sempronius. ff. de leg.* 2. Petenti aduerſario inſtrumenta debet actor exhibere. *cap.* 4. *&* 12. nam, vt inquit Quintil. lib. 5. Inſtit. orat. cap. 5. *inſpectio ipſa tabularum, ſæpe falſum deprehendit.* Ea tamen pars edi tantùm debet, quæ ad cauſam, qua de agitur, pertinet. *cap.* 5. *l.* 1. §. *edenda. ff. de edēdo.* & ſi inſtrumento de cuius fide conſtat aliquid deeſſe dicatur, ex eo quod conuentum eſt, id per teſtes rectè probari poteſt. *cap.* 10 *l.* 1. *C. de vſuris.* In chirographis ſiue cautionibus acceptæ pecuniæ id obſeruatur, vt ſi cauſa ſit expreſſa, omnimodo ſoluere compellatur debitor: ſi verò non ſit expreſſa, non alias quàm ſi doceat actor qua de cauſa pecunia fuerit numerata. *cap.* 14. quod ex iure ciuili

eſt, *in l. cùm de indebito. §. fin. ff. de probat.*

De Præſumptionibus. Tit. 23.

VT teſtes, vt inſtrumenta, ita iudicia & argumenta, quæ Græci τεκμήρια vocant, fidem aliquam continent. *l.* 21. *§. vlt. ff. de teſtib. l. indicia. C. de rei vindic.* Itaque quæ ex his ſumuntur coniecturæ, ſi rei aptæ ſint, & vero proximæ, pro legitima probatione cedunt, *cap.* 12. 13. *hoc tit.* & ab eo quem agẽtem aliqua repellit præſumptionis exceptio, probationes dilucidæ deſiderantur, *l. vlt. ff. quod metus cauſa.* Interdum etiam contra præſumptionem, nulla admittitur probatio. *cap.* 21. *j. de ſponſal. cap.* 6. *j. de condit. appoſitis. cap.* 10. *hoc tit.* Solenne veteribus fuit ex eiuſmodi anticipatis animo cognitionibus ius dicere, vt ex Gellio conſtat, *lib.* 14. *cap.* 2. &

Sue-

Suetonio *in Galba, cap.* 7. Id patet etiam ex *cap.* 2. *hoc tit.* (quod ſumptum eſt ex lib. 3. Regum, *cap.* 3.) de iudicio Salomonis, inter duas mulieres, quo ex intimo humanæ naturæ adfectu, puerum de quo inter eas controuerſia erat, ei adiudicauit, quæ impediebat eius ſectionem. His conſequentia illa ſunt, vt eius propoſiti & integritatis in adoleſcentia eſſe aliquis exiſtimetur, cuius fuit in adoleſcentia; & vt fides antè actæ vitæ, quid de quoque ſit præſumẽdum, definiat. *cap.* 3. 6. *l.* 5. §. *à barbaris. ff. de re mil.* vt deſideria morientium eſt arbitrio viuentium ſumantur. *l.* 4. C. *de natur. lib.* vt indiuidua vitæ conſuetudo matrimonij contracti argumentum inducat. *cap.* 11. vt quiuis idoneus exiſtimetur, ſi contrarium non oſtendatur. *cap. vn.* §. *de ſcrutin. in ord. fac. cap. vlt. hoc tit.* quod vtique naturali rationi congruit: nam, vt inquit

Marcellus I.C. *in l. pen. ff. de his quæ in test. del.* in ea re de qua nobis satis non constat, benigniorem interpretationem sequi non minùs iustius est quàm tutius, quod ita extulit Harmenopulus ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις, τὸ φιλάνθρωπον ὑπακουτέον. & Nicetas, ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις χρὴ βέπειν πρὸς φιλανθρωπον. Sunt alia eiusmodi multa, quæ in vtroque iure occurrunt vndiquaque Non æquè autem in criminalibus, ac in ciuilibus iudicijs, præsumptio vlla ad condemnationem facit, *cap.* 14. ex suspicionibus enim quemquam damnare iniquum est, & satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocẽtem damnare, *l. absentem. ff. de pœnis.* & Paulus lib. 4. Sent. tit. 12. *Humanæ rationis est fauere miserioribus, & propè innocentes dicere quos absolutè nocentes pronuntiare non possumus.*

Ita eleganter Antiphon apud Stobæum, εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολύσαι ὁσιώτερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι· τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα. Vno tantùm casu prodiit ex præsumptione, publico iudicio quemquam damnari. Is relatus est in l. 34. *C. ad l. Iul. de adult.* vt qui adulterii accusati, per commemorationem proximitatis seu necessitudinis fidem crimini derogarunt, & accusationem depulerunt, si postmodum in nuptias conueniant, tanquam confessi puniantur.

De Iureiurando. Tit. 24.

DIffert hic titulus 24 à tit. 7. s. Is fuit tantùm de iuramento Calumniæ, quod in iudiciis olim locum obtinuit, vt sincera fide instituerentur aut susciperentur actiones: hic est de iuramen-

to omni, quod cuiuſque pactionis, conuentionis, pollicitationis firmandæ cauſa, vel exigitur, vel præſtatur: illo enim vinculo adſtringitur fides quàm arctiſſimè. Huic illa primùm conditio accedere debet, ne ad id leui de cauſa decurratur. *cap.* 26. *hoc tit.* *cap.* 197. *lib.* 5. *capitul. Caroli Magni.* Epictetus in Enchirid. Ὅρκου ἀφελείτωσαν, εἰ μὴ οἷόν τι εἰς ἅπαν· εἰ δὲ μὴ, ἐκ τῶν ὄντων. Hinc eſt quòd edicto prætoris remittatur plerumque iuriſiurandi conditio, quòd ad iurandum nimis faciles ſint hominum nonnulli, contemptu religionis; alii tam timidi ſint metu diuini numinis, vt nec verum ſacramentum præſtare audeant. *l.* 8. *ff. de condit. inſtit.* Inſpiciendum & illud, ne iuſiurandum vi ſit extortum; illius enim venia facilè conceditur. *cap.* 2. 8. & 15. De fide iuriſiurandi cognoſcit eccleſia, eiúſque gratiā facit.

cap. 34. ſup. de elect. & el. pot. cap. vlt. de fo. comp. in 6. Fecere etiam olim Pontifices & paganæ religionis arbitri. Plautus in Rudente, *Tún' meus Pontifex periurio es?* Poſtea Impp. qui iidem & Pontifices ſummi fuerunt, id ad curam ſuam & notionem retulerunt, vt conſtat ex Suetonio *in Tiberio cap. 35.* l. vlt. *in pr. ff. ad municip. l. 1. C. ſi aduerſus vendit.* Illo item iureiurando quis non obligatur, quo fide data cauit, id ſe non facturum, quod ex voti & neceſſitudinis debito facere debet. *ca. 12. §. fin. & cap. 13.* Non item qui pariturum ſe mandato alicuius iurauit, ei poſtea acquieſcere cogitur, qui quid iubet, quo is qui iurauit, à fide olim præſtita recedere neceſſe habeat: aut id omnino imperat, de quo ſenſiſſe eum, qui iuramenti religione ſe adſtrinxit, veriſimile non eſt. *cap. 16. 21. 23.* Denique de re turpi, &

& flagitiosa iuramentum præstitum nullum est, quia in id institutum non est vt sit vinculum iniquitatis. Et in his itaque, vt loquitur Iustin. N. 51. αἱ ἀσελγέστερ μᾶλλον ἀρέσκουσι διὰ ταῦτ᾽ ὅρκων πηγάς. Iusiurandum autem ex probationum inopia solet iudex deferre finiendæ litis gratia. *l.* 3. *C. de rebus cred.* Et ideò consequenter adiectus hic est titulus superioribus: in quo tamen solum est *cap. vlt.* de iuramento illo iudiciali, ne reo illud liceat recusare: ne item deferatur cùm nulla præsumptio causam actoris adiuuat. Defertur quidem in supplementum probationis, quæ minùs legitima est, cùm leuia sunt, & dubia argumenta, quibus actor vsus est, vt *in cap.* 10. ĩ *de dest. impub.* At cùm omnino nulla sunt adminicula, etiam non delata religione iurisiurandi reus absoluitur,

quamuis nihil præſtiterit : inopia itaque, non egeſtis probationis in cauſa eſt, vt deferatur iuſiurandum. Vice verſa cùm probatio legitima eſt, id eſt cùm actor cauſam ſuam muniuit inſtrumentis & teſtibus, non poteſt cogi vt iuret, *cap.* 2. §. *de probat.* Neque item indiſtinctè, qui nititur præſumptione aliqua, compellitur iurare. *cap. fin. de teſtibus. in* 6. Sunt aliæ duæ ſpecies iuriſiurandi, iure ciuili, voluntarium ſcilicet & neceſſarium : vtrumque à partibus defertur in iudicio, vel extrà; & ex conuentione proficiſci dicitur. Cùm autem ſemel præſtitum eſt, totam litem diſcingit; & ideo tranſactioni comparatur, vicémque rei iudicatæ obtinet. *l.* 1. *ff. quarum rerum actio non detur.* Sic D. Paulus *cap.* 6. *ad Hebræos* : οἱ ἄνθρωποι κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι καὶ πάσης αὐτοῖς

αἰτιολογίας φῶς, ποῖς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος.

De exceptionibus. Tit. 25.

EXceptiones ſunt in duplici genere: vel enim peremptoriæ ſunt, vel dilatoriæ. Peremptoriæ litem dirimunt, & diſſoluunt penitus. Eiuſmodi ſunt exceptiones iuriſiurandi, rei iudicatæ, doli mali, pacti perpetui, quod metus cauſa. Hæ in quacumque parte litis opponi poſſunt ante rem iudicatam. *l.* 2. *C. ſentent. reſc. non poſſe. cap.* 10. *ſ. de fide inſtrum.* Interdum etiam poſt rem iudicatam, dum quis iudicati actione conuenitur, allegari poſſunt. *l.* 1. *C. de iu. & fa. ign. l. tamen. ff. ad Senatuſconſ. Maced. l. Neſennius. §. vlt. ff. de re iud.* Sola exceptio falſi etiam poſt iudicatum, & iudicati ex-

ſecutionem quocumque tempore, intra vicennium proponi poteſt. *cap. 6. hoc tit. l. qui agnitis. ff. eod. l. querela.* 12. *C. ad l. Corn. de falſ.* Dilatoriæ, perpetuæ non ſunt, ſed iudicium tantùm & litem ipſam differunt. Eæ rurſus in duplici ſunt genere. Quædam enim ſunt de iudicijs conſtituendis, & de perſonis, quibus iudicia conſtant; quædam de re ipſa, quæ in controuerſiam vertitur. Quæ circa iudicia conſtituenda verſantur, in ipſo limine quæſtionis, ante litem conteſtatam opponi & diſcuti debent, vt ſunt fori præſcriptiones, quibus negatur iudicem eſſe competentem. *l. pen. & vlt. C. hoc tit.* Eiuſmodi eſt reiectio, ſiue recuſatio iudicis quaſi ſuſpecti: debet enim iudex, antequàm lis inchoetur, probata cauſa à iudicatione demoueri. *l. apertiſſimi. C. de iudic. cap.* 20. ĩ. *de re iud.* Excipienda eſt

ab his exceptio excommunicationis, quæ licet perſonas reſpiciat, tamen hoc iure in quacumque parte litis poteſt opponi, & iudicati etiam exſecutionem impedit. *cap.* 12. *hoc tit. cap.* 1. *eod. tit. in* 6 Excommunicatus agere omnimodo non poteſt: poteſt tamen ſe defendere & ius ſuum tueri exceptionibus, ſi in ius vocetur: poteſt etiam appellare, ſi de iniquitate ſententiæ quæratur. *cap.* 5. 10. 11 *& fin.* ídque Clericis, qui à ſacris arcentur, conceſſum eſt, vt Eccleſiæ ſuæ adeſſe poſſint, & eius cauſam defendere. *cap.* 8. Quæ rem ipſam adficiunt (vt exceptiones pacti temporalis, quo placitum eſt ne petere liceat intra tempus aliquod, ſed ſolutio differatur intra certum diem) opponuntur quidem initio ante litem conteſtatam: At de earum viribus tum demum iudicis eſt diſpicere,

poſtquam actor intentionem ſuam impleuit, & de his eſt accipienda l. 19. *C. de probat*. Ideo autem intentioni ſuæ fidem prius aſtruere actor debet, quàm de exceptione dilatoria ſolutionis cognoſcatur, quia qui exceptionem opposuit, non ideo fatetur de intentione agentis *d. cap. 6. hoc tit. l. non vtique. ff eod.* Qui quamlibet exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam proponit calumniandi animo, quo iudicium protrahat, ſi intra tempus à iudice præſtitutum eam probare nequiuerit, ſtatim condemnari debet in expenſas, quas actor propter moram paſſus fuerit, *cap. 5. §. de dolo & contum.* Eſt verò titulus hic non ſolùm de exceptionibus, quibus ſe rei defendunt; ſed etiam de replicationibus, quibus actores iniquitatem exceptionis eludunt: eſt etiam de his exceptionibus quæ

teſtibus opponuntur, aut quibus dicta teſtium refelluntur, vt eleuentur teſtimoniorum pondera: quas Euſtathius videtur vocare διαβολὰς τῶν μαρτύρων, *lib.* περὶ χρονικῶν διαστημάτων, *cap.* περὶ λ ἡμερῶν *in fine.* vt & tradit Cuiac. *lib. de præſcr. & term. cap.* 10.

De Præſcriptionibus. Tit. 26.

PRæſcriptionis nomen interdum generale eſt, & notat exceptionem omnem, vt Græcis πᾶσα ἔνστασις dicitur, quidquid cõtra actoris intentionem reus proponit. Ita dicitur præſcriptio fori, *in l. vlt. C. de except.* & præſcriptio rei iudicatæ, *l.* 11. *& pen. ff. eod.* Interdum ſpeciale eſt, vt hoc titulo; & ferè in toto iure ciuili, pro ea exceptione, quæ temporis eſt, non qualis ſuperiore titulo, dilatoria, ſed peremptoria

prorſus; quæ ideo comparata eſt, ne rerum dominia ſemper in incerto eſſent, ſi quocunque tempore tranſacto, rem ſuam quiſque à bonæ fidei poſſeſſore poſſet auocare : & ea ratione præſcriptio tricennalis dicitur patrona generis humani à Caſſiodoro. *lib. 5. Var. cap. 37.* Ad præſcriptionem pro rei qualitate diuerſum tempus requiritur. Hoc iure triennium ſufficit, ſi quis Epiſcopus locum aliquem ad diœceſim alterius pertinentem ab hæreſi ad fidem orthodoxam reuocauerit, & illum triennio poſſiderit. *cap. 1. hoc tit.* Cùm hæc cauſa ceſſat, vt alter alterius poſſeſſionem, ius, decimas, vſucapere poſſit; poſſeſſio continua triginta annorum neceſſaria fuit, *can. 1. 16. qu. 3.* Poſteà quadraginta annorum ſpatium huic rei præſtitutum eſt. *cap. 4. 6. 9. hoc tit.* Subducuntur ab eo ſpatio, ea temporis mo-

menta quibus ecclesia Episcopo vel rectore, qui eius iura tueretur, aut præscriptionem interrumperet, fuit destituta, *d. cap.* 4. *&* 15. *hoc tit. cap.* 3. §. *de in int. rest.* Excipiendum est etiam illud tempus, quo propter hostes grassantes liberum non fuit rationibus ecclesiæ succurrere, *cap.* 10. Sed & ea præscriptio tum demùm locum habet, cùm diœceses terminis distinctæ non sunt: nam vt in agris limitatis ius ciuile alluuionem non admittit, *l. in agris. ff. de acqu. rerum domin.* ita hoc ius, eius possessionis præscriptionem inhibet, quæ certos, distinctos, & separatos limites habet. *can. inter.* 16. *qu.* 3. *cap. fin.* §. *de paroch. & al. par.* Constituit Iustinianus, *l. vt inter diuinum. C. de sacros. Eccles. & N.* 9. ne Ecclesiæ agenti contra priuatum quemlibet alia obstaret præscriptio, quàm centum annorum: postea id immutauit,

& vltra quadraginta annos actionem quamlibet, Ecclesiæ competentem, extendi vetuit, *N.* 111. *&* 131. *cap.* 6. Pontifices verò in ceteris quidem Ecclesiis ius nouum Iustiniani amplexi sunt: quod verò ad Romanæ Ecclesiæ iura pertinet, ius vetus probauerunt, vt centum annorum præscriptio ei tantùm noceat, *cap.* 13. 14. 17. *hoc tit. cap.* 4. *j. de confirmat. vt. vel inut.* Cùm Ecclesia cõuenitur, præstituta actionibus tempora seruantur: & licèt agentem eam non repellat nisi quadraginta annorũ præscriptio, opponit tamẽ ipsa præscriptionẽ 30. annorũ, *cap. vlt. addit. 4. ad Capit. Caroli Magni, cap.* 3. *hoc tit.* Sunt autem res quæ præscribi nõ possunt omniuo. Non potest Ecclesia quæ intra cuiuslibet Episcopi diœcesim constituta est, vllo temporis spatio se munire, quominus eum visitantem admittat, & pro-

curationis nomine cibaria ei, & hoſpitalem menſam præbeat.*cap.* 9. & 16. Non poteſt clericus vel Monachus obediẽtiã præſcribere aduerſus prælatum,*cap.* 12. Ita nec cliens beneficiarius iure cõmuni aduerſus patronũ ſuum fidem & obſequiũ poteſt præſcribere.Sunt item res quædã quæ ab aliquibus longa poſſeſſione acquiri poſsũt, ab aliis nõ æquè:vt ſunt decimæ, quas Eccleſia aduerſus Eccleſiam poteſt præſcribere. *d. cap.* 4. laici verò nullomodo. *cap.7.hoc tit.can.* 15.*placuit.§ fin.*16. *q.*3. Excipiuntur decimæ illæ, quæ ab antiquo in feudum ſunt conceſſæ, & ius patronatus induerunt: hæ enim cùm ſint in promiſcuo vſu,&commercio laicorum, rectè poſſunt præſcribi ab eiſdem.Vtcunque etiam laicus decimas præſcribere non poſſit,modum tamen earum præſtandarum poteſt, vt ad certam ſpecierum quantitatem veluti ratione

tione vicesimæ soluantur; & si de modo consueto quæratur, sæcularis iurisdictionis notio est; quod placito senatus Parisiensis est confirmatũ. Sed non ita qualitas præstationis, vt pro rebus ipsis & fructibus certus pecuniæ modus soluatur præscribi potest, etiamsi adæratæ dicantur: quod alio S. C. est constitutum. Ius patronatus licet spirituali sit annexum, propter Ecclesiã cui adhæret, præscriptione tamen potest acquiri multiplicatis præsentationibus. Quod superest, sunt qui ne omnino quidem possunt præscribere, vt hi qui alieno nomine precaria possessione possident, vel quocunque alio modo, *l. 12. C. de præscr. 30. vel 40. ann. cap. 7. hoc tit.* Is etiam hoc iure non præscribit, qui tempore quocumque rei alienæ conscientiam habet. *cap. 5. & vlt. hoc tit. can. si virgo. 34. qu. 2.* Iure ciuili

satis fuit emptori tempore contractus non sciuisse alienam, ita vt sequens sciẽtia ei non noceat, *l. 1. .hoc tantummodo. C. de vsucap. transform.*

De Sententia & re iudicata.

Tit. 27.

PRæscriptionis quoque siue exceptionis species est, quæ hoc titulo proponitur : quòd fortè res qua de agitur, inter litigantes dicatur iudicio transacta, vt exceptio rei iudicatæ opponatur; vel etiam nitatur aliquis aliquo præiudicio, quod iudicantis animum præparet ad id statuendum, quod in simili iudicatum fuit. Licèt enim non exemplis, sed legibus iudicandum sit, vt ait eleganter Imperator *in l. nemo. C. de sent. & interloc.* multum tamen ponderis obtinẽt eiusmodi præiudicia, & rerum perpetuò

similiter iudicatarum authoritas vicem legis habet. *l.* 38. *ff. de legib.* Est igitur titulus hic, de sententia, & re iudicata. Est etiam de exsecutione rei iudicatæ. Non autem ad actionē, vel exceptionē proficit sententia quælibet: nam quæ contra leges lata est, vires non obtinet, & circa appellationem rescinditur. *cap.* 1. *l.* 19. *ff. de appellat.* Ita quæ super matrimonio aliquo distrahendo lata est, vix est vt vnquam valeat, si obreptum sit Ecclesiæ, quæ sententiam diuortij tulit. *capit.* 7. Aliàs valet sententia quæ contra ius litigatoris lata est per imperitiam iudicis, vel iniuriam: nec citra appellationem rescinditur, *cap.* 13. *l. pen. ff. de iust. et iu. l. ser-uo.* 65. §. *cùm Prætor. ff. ad S. C. Treb.* Vbi verò semel transiit in rem iudicatam, iam nullo pacto reuocatur, ne quidem si quis obtēdat se nouas allegationes habere, aut

inſtrumenta quæ nondum fuere exhibita. *cap.* 20. 21. *l.* 4. *C. de re iud.* niſi dolo aduerſarij ſubtracta dicantur. *l.* 19. *C. de tranſact.* In criminalibus cauſis, quia in his de capite, & fama quæſtio eſt, nouis inſtrumentis reſcindi iudicatum obtinet. *l. diui fratres. ff. de pœnis.* In ciuilibus etiam æquum fortè fuerit reo ſuccurri, ſi poſt rem iudicatam cauſetur inſtrumentum aliquod reperiſſe: quod eo magis probari poteſt, quòd reo plerumque, qui nihil tale ſuſpicatus eſt, dies ad iudicē dicatur iuris experiundi gratia; nec ita paratas ſemper, & in numerato habeat exceptiones ſuas; vt ea quæ cauſam ſuam inſtruunt, intra breues inducias poſſit eruere.

Digitized by Google

De appellationibus, recuſationibus & relationibus.
Tit. 28.

FRuſtra rei iudicatæ authoritate quis nititur, ſi à ſententia ſit prouocatum. Ere itaque fuit poſt titulum ſuperiorem, hunc adiici de appellationibus: vt cõſtaret, quo iure eæ valeant, quibúſque ex cauſis recipi debeant, vel improbari. Non eſt audiẽdus omnino, qui fruſtrationis & moratoriæ dilationis cauſa prouocationem interponit, in his maximè, quæ ſunt manifeſta & publicum habent teſtimonium. *cap.* 5. §. *vlt. cap.* 13. & 14. Ita illud in Gallia ſemper obtinuit, ne paſſim liceret ad ſummum Pontificem appellare: neque etiã appellationes eiuſmodi probat Yno Epiſcopus Carnot. *ep.* 172. 180. & 219. quod ad illas magis dilatione

ſententiæ, quàm confidentia iuſtitiæ decurreretur. Non admittuntur etiam appellationes in cauſis diſciplinæ, ne liceat inferioris gradus Clericis, aut monachis, coercitionẽ canonicam declinare, aut etiã aduerſus prælatos ſuos contumaciter agere. *cap* 13. *ſup. de offic. ord. cap.* 3. & 26. *hoc tit.* Non appellatur etiam ab exſecutore, niſi modũ iudicationis excedat. *cap.* 43. *l. ab exſecutione. C. quorũ app. non recip. l.* 18. *C. Th. eod. tit.* aut niſi ſententiam malè interpretari dicatur, *l.* 4. *ff. hoc tit.* Item qui ſemel & iterum prouocauit, cauſa per appellationem ad varios iudices deducta, non poteſt tertiò prouocare. *cap.* 65. & *l. vn. C. ne liceat in vna cauſa tert. prou.* Iuſtin. N. 82. τελευταίας ἐκκαλέσασθαι βουλομένοις, τῶν ἐφέσεων αἰτήσονται λόγος. In eo autem differt maximè ius canonicum à

ciuili, quòd eo ante definitiuam ſententiam, ab articulo, aut interlocutione appellare nõ liceat, *l. pen. C. quorum appellat. non recip. l. 2. C. Th. hoc tit.* quod ita verũ eſt, vt clericus, qui ante definitiuam ſententiam appellauerit, quinquaginta librarum auri multam pauperibus erogandam ſubire iubeatur. *l. 2. C. de Epiſc. aud.* At hoc iure, tempore quocumque licet prouocare. *can. non ita 2. q. 6.* nec ab interlocutione modò, ſed à grauamine etiam futuro, quod timetur nec dum illatum eſt. *cap. 6. ſ. de dolo & contum. cap. 5. hoc tit.* Ita *in cap. 19. ſ. de elect.* ea appellatio recipitur, ne electio niſi canonica fiat. & *in cavit. 51. hoc tit.* illa quoque, ne poſſeſſionem ingredienti vis fiat. Non valet tamen appellatio generalis à grauamine, in omni cauſa, quæ quãdocumque corã eo iudice à quo appellatur, intẽdi poteſt. *cap. 2. 18.*

At qui semel appellauit in vnâ causa, pendente iudicio appellationis, in alijs causis coram eo iudice à quo appellatum est, sistere se in iure non compellitur; ne quasi apud offensum, & suspectum iudicē litigare cogatur. *cap.* 6. & 24. quod moribus Andiū & Pictonum obtinet. Aliter iure ciuili, quo non minus qui appellauit, experiri cogitur apud iudicem suum, cùm si lędatur, ei semper ad appellationem via pateat. *l. vn. ff. apud eum à quo appellat. al. caus. ag. com.* & hac etiam in re non cōsentit ius ciuile cum isto. Sed & in eo quoque nō cōgruit, quòd illo omissis intermedijs iudicibus rectà ad principem appellare non liceat, *l.* 21. *ff. eod. tit.* Id verò ius hoc indulget, cùm ad summum Pontificem prouocatio interponitur, *cap.* 7. quod in vsu tamē non est, & magis probatur hac in re ius ciuile, vt iudicibus

ordinarijs ſua iuriſdictio ſeruetur. Olim autem intra biduum poſt ſententiam latam appellare neceſſe fuit: Iuſtinianus verò *N.* 23.edixit, vt darẽtur decem dies, quibus elapſis via omnis præcluderetur; quod & ſequuntur Pontifices, vt his tranſactis, conuelli non poſſit rei iudicatæ autoritas vllomodo, *cap.*32. *ſup. de elect. cap.* 15. *tit. ſuperiore.* Eſt verò titulus hic de recuſationibus quoque, vt iudex qui reijcitur, ipſe partes compellat ad eligendos arbitros, qui cauſas recuſationis diſcutiãt. *cap.*41. §. *vlt. & cap.*61. vt poſſit etiam, iiſdem probatis, litigantes cogere litis ſuæ diſceptatorem alium eligere, *cap.*27. Eſt item de relationibus, quæ conſultationes ſunt iudicum ad principem vel ſummũ Pontificem; quoties dubitant de re quapiam, cuius cognitionem ſuſceperunt: de his eſt ſolùm cap.68. vt iudex qui re-

ferendum existimat, consultationis exemplum litigatoribus edat. Id ita fit, vt si cui ex litigantibus relatio minus plena, vel cõtraria videatur, liberum ei sit refutatorias preces adiungere, quod ex *l.* 1. *C. de relat.* adiiciendum est, *d. cap.* 68. Hæ preces, siue libelli dicuntur ἀναπληρωματικοὶ, (vt docet maximus Iurisconsultus, *libr.* 22. *obs. cap.* 33.) quia nimirum præbent supplementum iis, quæ in relatione desunt. Non solùm autem princeps, vel Papa cõsulitur, sed interdum etiam maiores iudices, à minoribus de iure dubitantibus. *l.* 79. *eum qui. §. fin. ff. de iudic.* Sic solent etiam inferioris subsellij iudices, cùm insignis aliqua iuris quæstio agitatur coram ipsis, fori Parisiensis consulere iurisperitos, vt ex eorum sententia partibus ius dicant, & religionis suæ motum confirment.

De Clericis peregrinantibus.
Tit. 29.

TItulus 22. lib. 1. eſt de Clericis peregrinis qualibet de cauſa, & an in locis, in quibus aduenæ conſiſtunt, debeant ad ſacros ordines promoueri, aut in ſuſceptis miniſtrare: hic vero eſt de Clericis peregrinãtibus cauſa appellationis; nec tam de Clericis, quàm de quibuſlibet, vt qui abſẽtes ſunt interim plena ſecuritate gaudeant. Ad hunc titulum pertinet reſcriptũ Imp. Alexãdri, *in l. 25. ff. de appell.* quo prohibitũ, ὕβρει καὶ βίᾳ χεῖραν ἐπὶ τοὺς ἐγκαλουμένους, καὶ φυγεῖν αὐτοῖς ἐπιτάσσειν, καὶ ἀποφράττειν ὁδὸν τοῖς ἐπὶ τὸν αὐτοκράτορα. Generaliter etiam ea regula obtinet, vt pendente appellatione nihil fieri, nihil innouari debeat: ideóque interea excommunicari aliquis, aut

de poſſeſſione, qua de agitur, deijci non poteſt, *c.* 17. *&* 37. *tit. ſuperiori.* Excipiũtur caſus quidam, quibus & lite, & appellatione pẽdente, nihilominus quædam innouare fas eſt: veluti ſi is appellet, qui interdicto vnde vi conuentus, reformare actori ſtatum poſſeſſionis damnatus eſt: inſuper habita appellatione, & ea pẽdente ſententia ſuum ſortitur effectum, *l. vn. C. ſi à moment. poſſ. ſu. appell.* Ita pendẽte cognitione ſuſpecti tutoris, ab adminiſtratione iubetur tutor abſtinere interim, *l.* 14. §. 1. *ff. de ſolut. l.* 7. *C. de ſuſp. tut. can. ſi Epiſcopus. in fi.* 3. *q.* 2. quod & in Epiſcopo obtinet, qui dilapidationis nomine delatus eſt, *cap.* 37. *ſup. de off. & pot. iud. del. cap. vlt. inf. de accuſat.* Interdum etiam ſententia, quam ſuſpendit appellatio, exſecutioni mandari debet, ſi res moram nõ recipiat, vel periculum imminens debeat

præcaueri. *l. 6. §. quid tamen. ff. de iniuſto rupt. & irr. fa. teſt. l.* 16. *conſtitutiones. ff. de appellat.* Circumducenda igitur, prout æqui iudicis religio ſuggerit, ſtricti iuris illa regula, & neceſſitati ex cauſæ ſtatu ſubueniendum, ne iuris occaſione iuſtitiæ vigor pereat, & ex bene fundata peritia, qua ſalus publica continetur, iniuriæ naſcatur occaſio.

De confirmatione vtili vel inutili. Tit. 30.

EA quæ iuxta Eccleſiaſticum morem iuſtè & rationabiliter ſunt definita, ſententia quoque Romani Pontificis, vt vires maiores obtineant, debent communiri, *cap. 4. ſupr. de re iudic.* Sic Yuo Epiſcopus Carnotēſis ad Paſchalem ſummum Pontificem, *ep.* 10. *Quamuis quod ratio ſuadet, vel quod vſus approbat, vel epiſcopalis mode-*

ratio disponit, per se satis vigere videatur : tamen carius fit, & quasi luce quadam irradiatur, cùm id decreto Apostolico roboratur. Eodem sensu Plin. *lib.* 10. epist. ad Traianum principem : *Quæ sunt ab alijs instituta, licet sint sapienter indulta, breuia tamen & infirma sunt, nisi illis tua contingat autoritas.* Rectè igitur titulos de re iudicata, & de appellationibus, sequitur titulus hic : tum demum enim sententia à delegatis lata confirmatur, cùm eam non suspendit appellatio, *capit. 3. hoc titul.* Confirmatio à Iustiniano N. 42. *cap.* 1. dicitur ὑπωύρωσις, quo loco apparet sententias Episcoporum, confirmari debuisse Imperatorum iudicio. Non solùm autem sententiæ confirmantur, sed & priuilegia quoque ; quamquam ea innouantur potiùs, quàm confirmantur. *cap. 4. hac tit. cap.* 13. & 29. *inf. de priuileg.* Confirmantur

etiam tranſactiones, & pactiones, quæ de rebus Eccleſiaſticis fiunt, *cap. 8. ſup. de tranſact. cap. pen. hoc tit.* Sic vſus obtinuit, vt penſiones, quibus beneficia onerantur, iudicio ſedis Apoſtolicæ cõprobentur, quo magis ab omni ſimoniacæ pactionis ſpecie vindicentur. Sed & ſententiæ, quæ ex compromiſſo datæ ſunt, confirmari debẽt, *cap. pen. ſup. de arb.* Demum confirmatur poſſeſſio, quæ iuſta, quæ legitima eſt, *cap. 1. hoc tit.* Ex his conſtat, cõfirmare, hoc loco nihil aliud ſignificare, quàm decernere, comprobare, autoritatem præſtare, autorem fieri, aſſentiri, quod Græcis dicitur, ὁμολογεῖν, *vt in l. 1. §. ſi quis autem. Cod. de recept. arb.* Vnde & vox illa in iudiciis recepta (*homologuer*) vt doctiſſimè Raguellus notat *in indice locupletiſſimo verborum quæ ad forenſem Galliæ pra-*

dentiam pertinent. Ad titulum ſupereſt, quòd confirmatio alia vtilis ſit, alia inutilis. Vtilis eſt, quæ actui valido adijcitur, *capit. pen.* inutilis, quæ ei qui nullus eſt, *cap.* 1. 3. 7. Rurſus alia eſt, quæ fit in forma communi; alia, quæ fit ex certa ſcientia. Confirmatio fit in forma communi, cùm ſicut iuſtè res acta eſt, tranſactio, iudicium, & alia eiuſmodi comprobantur. Itaque non valent, niſi hæc ita ſe habeãt, *cap. pen. ſup. de conſtit. cap.* 6. §. *porro. ſupr. de fide inſtrum. cap.* 5. *inf. de conceſſ. præb.* Fit autem ex certa ſcientia, quando is qui præber autoritatem, mendi alicuius, vel erroris, qui actus ſolennitati irrepſit, conſcius, nihilominus illum confirmãdo vires illi tribuit, *vt in l.* 38. *ff. de adopt. & cap.* 1. *ſup. de tranſact.*

PARA-

PARATITLA IN TERTIVM LIBRVM DECRETALIVM Gregorij noni Papæ.

DE VITA ET HOneſtate Clericorum.

Tit. 1.

AD tractatum de perſonis, quem maximè pars libri primi dederat, rurſum pertinent ea quæ initio huius libri tertij proponuntur: & maximè titulus hic primus, qui cuiuſlibet gradus & ordinis Clericos reſpicit; vt laudabile & inculpatum ſui præbeant teſtimonium. D. Paulus *ep. 1. ad Timoth. cap. 3. & ad Titum cap.* 1. iubet Epiſcopum eſſe ἀνέγκλητον, ἀνεπίλημπτον. quod de

7. 15. constituitur, vt comam aut barbam non nutriant, néve cum multa munditia, circumspectè nimis, & compositè induantur; non aliud significatur, quàm vt αὐθάδης non sint. Id quidem morum congruit honestati, vt Clericus ipso habitu dignitatem ordinis sui exhibeat: nam vt ait Plinius Secundus, *licet veste non augeatur dignitas, ornatur tamen & instruitur*: & Tertul. *lib. de Pallio*, indices, custodésque dignitatis habitus vocat. Verùm hoc ita, vt sordes & squalores vitentur, non etiam vt cultus delicatus, & venustus multùm exquiratur. Debet is itaque qui sacris ministrat (quemadmodum Philosophum monet Epictetus *apud Arrianum lib. 4.*) ὥσπερ τὰ ἄλλα οὕτω καὶ τὸ σῶμα, ἐπὶ ἀπάσχον ὀπισχυέαν αὐτὸν, ὅπως καὶ ἀπὸ τῦ σώματος.

De cohabitatione Clericorum & mulierum. Tit. 2.

CLericorum honestati, siue sanctimoniæ id quoque cõueniens est, ne mulierum contubernia sectentur. D. Hieron. ad Nepotianum, de vita Cleric. *Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant.* D. Chrysost. διὰ ἰδιωσύνης ἀκολασίας ἔφη, αἱ συνεχεῖς τῶν γυναικῶν ἐντεύξεις. Ideo Imperatorum Christianorum constitutionibus & synodorum decretis id cautè prouisum, vt Clerici extranearum mulierum consortijs abstinerent. *l.* 19. *C. de Episc. & Cler. can.* 13 *concilij Niceni, & cap.* 1. *& pen. hoc tit.* Ea ratione Iustin. *l.* 44. *C. eod. tit.* iubet κληρικῶν & μοναχῶν διαιτὰς κεχωρισμένας ἔχειν τῆς γυναικείας συνδιαγωγῆς. quod ipse repetit *N.* 123. *cap.* 36.

& *N.* 133. *cap.* 3. Interdicto itaque Clericus plectitur, qui à suspecto contubernio mulieris non abscedit. *cap.* 2. & 3. & si contumaci spiritu in crimine perseuerauerit, deponitur. *cap.* 4. & 6. Vt verò Clerici & Monachi seorsim à mulieribus agere debent: ita fœminæ religiosæ, quæ in asceteriis degunt, ab omni hominum commercio procul esse debent, vt constituit idem Iustinianus *N.* 6. *cap.* 6. & qui ad earum accedunt monasteria, sine iusta & ratione consentanea causa, si Clerici sunt, deponuntur; si laici, à communione abijciuntur. *cap.* 8. *tit. superiori.*

De Clericis coniugatis.

Tit. 3.

COnsequenter post titulum superiorem, hoc titulo quæritur de Clericorum coniugijs,

quando legitima sint, & rata maneant. Poterant olim ad sacros ordines accedere, qui vxores habebant. *l.* 19. C. *de Episc. & Cler.* Verùm ex his, qui nullo contracto matrimonio, in clerum allecti erant, indultum solummodo fuit inferioris gradus Clericis, vt vxores ducere possent: presbyteris verò, diaconis, subdiaconis non item: vt constitutum est, in canonibus Apostolorum *can.* 26. Id excipiebatur nisi qui ordinarentur, ipso instanti protestati fuissent χελῶν γαμῆσαι, vt est in can. 10. synodi Ancyranæ: ex quo est quod Gratianus refert *in can. diaconi*: 28. *dist.* Postea sententiæ patrum in id decurrerunt tandem, vt constituerint maioris gradus Clericis non licere vxorem ducere, neque eos, qui vxores haberent, ad sacros ordines promoueri posse, nisi voto castitatis perpetuæ se adstringerent.

Digitized by Google

can. 1. can. decernimus. can. assumi. 28. dist. can. Episcopus & seq. 31. dist. cap. 2. hoc tit. Qui itaque infra subdiaconatum vxorem duxit, eam retinet; beneficia verò quæ habet, dimittere cogitur. Qui autem intra subdiaconatum & alios superiores consistunt, & vxorem ducunt, vxores dimittere coguntur, eísque pœna canonica indicitur. *cap. 1. 3. 5.* Demum pœnitentia peracta, admittuntur ad altaris ministerium. *cap. 4. hoc tit. cap. 1. & 2. j. qui cler. vel vou.*

De Clericis non residentibus.
Tit. 4.

CLerici debent esse frequentes in officio, & ministerio Ecclesiæ, ὅτι πᾶς φάλλειν νυκτερινὰ, ὀρθρινὰ, καὶ ἑσπερινὰ, vt loquitur lex 41. *C. de Episc. & Cler.* obtinuitque illud semper,

religionem prohibere, ne qui ſacris operarentur, à loco ſacerdotij diſcederent. *l. 2. ff. de in ius voc. l. pen. ff. de vacat. mun.* Id & Seneca tradit lib. de Tranquillitate vitæ. *Quoſdam*, inquit, *exilia vno loco tenent, quoſdam ſacerdotia.* Rectè itaque conſtitutionibus Eccleſiæ ſancitum eſt, ne Eccleſias ſuas Clerici deſererent, & aliò ſe conferrent. Ideo can. 15. Apoſt. cautum eſt, vt eiuſmodi emanſores miniſterij ſui & ordinis non haberent exſecutionem, cùm extra Eccleſiam ſuam conſiſterent. Solenne etiam illud fuit, ſacra eis omnimodo interdici, & ab ingreſſu Eccleſię arceri. Syneſ. *ep.* 67. ἐμοὶ δοκεῖ χελῶναι βύπις, ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπέπαυτο, πᾶσαν ἐκκλησίαν ἀπέπαυθαι· ἐς ἣν δὲ ἀπελθόντες ἐκεῖ καταστάντας, μηδένα δέχεσθαι θυσιαστηρίῳ, μηδὲ εἰς προεδρίαν καλεῖν.

Magis verò receptum eſt, vt prouentuum ſubtractione redire compellantur, *cap. pen.* vel ſi protractiori tempore, à ſuis Eccleſiis abfuerint, & euocati adeſſe ſuperſederint; iactura beneficij ſui mulctentur, *cap.* 2. 8. 10. *& vlt.* Iuſtinianus *N.* 123. *cap.* 9. conſtituit ne Epiſcopo liceat ab Eccleſia diſcedere, ſine Metropolitani conſenſu, aut iuſſu principis: & ſi vltra anni ſpatium Eccleſiæ defuerit, prohibetur ne ex' ipſa prouentus vllos habeat. Id etiam apud nos, conſtitutione Blœſenſi cautum eſt, §. 14. vt priuentur Epiſcopi reditibus ſuis, & emolumentis, quæ pauperum commodo tandiu applicari debẽt, quandiu moratoria negligentia cunctentur ad Eccleſias ſuas redire. Excipiuntur cauſæ quædam, ex quibus abſentes Clerici reditibus ſuis non fraudantur vllo modo. Prima illa eſt, & ea iuſta ratio-

ne commendata, si studiorum causa absint, *cap.* 4. 12. *hoc tit. cap. fin. j. de magistris. cap.* 34. *de elect. in* 7. Qui disciplinæ gratiâ abest, abesse non videtur, *l.* 78. *quæsitum. ff. de leg.* 3. *l.* 20. *Seiæ §. Pamphilæ. ff. de instructo & instrum. leg.* Id quoque continetur, si in obsequio sint Romani Pontificis, aut Episcopi sui iusta de causa, *cap.* 14. & 15. vel etiam si quacunque probabili ratione nitantur necessarij impedimenti, *d. cap.* 10. *hoc tit.* At vt illis casibus fructus præbendarum suarum integros, & illibatos retinent: ita quotidianas distributiones, quæ reipsa munia sua obeuntibus præstantur, non percipiunt. *cap.* 32. *tit. sequ. cap.* 30. *de elect. in* 6. *cap. vn. hoc tit. eodem lib.* Quod in omnibus priuilegiis, quocumque fauore nitantur, exprimi solet. *cap. vlt. de resc. eod. libro.* Aliter tamen constituendum videretur, si eiusmodi manua-

libus distributionibus omnes beneficij reditus constarent: tunc enim certa summa singulis animis fauore studiorum assignanda procul dubio esset. Eæ autem quotidianæ pensiones & veluti sportulæ (vt id obiter notetur) ea ratione cœperunt institui vt frequentiores clerici sacro ministerio peragendo adessent, earum veluti præmio inuitati. Sic Yuo episcopus Carnotensis elegantissimè ep. 219. *Cùm in quampluribus canonicorum Carnotensium desueuisset disciplinæ regularis obseruantia, vt de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles, de tardis assiduos, ad frequentandas horas canonicas; deliberaui apud me vt darem eis dimidiam præposituram, vt inde fieret cotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi: vt ad quas eos panis interni dulcedo non mouebat, panis corporei refectio prouocaret; quamuis eorum annua præ-*

benda eis ad hoc ſufffficiens eſſe deberet.

De Præbendis & Dignitatibus. Tit. 5.

PRæbendarum nomine, veniunt generaliter omnia beneficia Eccleſiaſtica. *can.* 2. *ſi quis dator.* 1. *qu.* 3. Ita verò dicuntur, quòd Clericis aſſignatæ ſint ad vitæ ſubſidium, quaſi eis alimenta præbeant: eáque ratione Caſſiodoro *lib.* 3. *var. epiſt.* 42. *& lib.* 5. *epiſt.* 39. viaticum exercitus, vel annona, ſiue πίπος cuiquam à principe muneris loco data, præbendarum vocabulo venit & ſignificatur. Sic Parochiæ nomen dici videtur, ἀπὸ τῦ παρέχειν, vt parochi dicti, qui peregrinis ligna ſalémque præbebant. Horat. lib. 1. ſerm Sat. 5.

Proxima Campano ponti quæ villula tectum

Digitized by Google

Præbuit, & parochi quæ debent ligna salémque.

Apud eundem *lib.* 2. *Sat. vlt.* parochi nomen accipitur pro eo qui cœnæ pater est, id est, qui cœnam amicis præbet. Idem sunt qui xenoparochi dicuntur *in l. munerum. §. si quoque. ff. de muner. & honor.* Præbendæ vocabulum hoc titulo, vt & toto ferè hoc iure, restrictius est quodammodo, & significat tantùm beneficium, quod quis habet tanquam canonicus sæcularis, vel regularis in Ecclesia cathedrali, vel ea quæ conuentum clericorum aut monachorum habet: vnde & canonici præbendarij dicti, *in can. sanctorum. 70. dist.* Alij sunt canonici, qui in Ecclesia quidem instituti sunt, nondum tamen præbendam sunt assecuti, sed proximè vacaturam exspectant, *cap. 9. 9. 27. hoc tit. cap* 12. *&* 13. *de reser. in 6.* Non solùm autem de præbendis

agitur hoc titulo, ſed de dignitatibus etiam. Dignitatis nomine, veniunt beneficia quælibet eminentioris faſtigij, quibus continetur etiam perſonatus. Hæc duo proximè ſe referunt, & eorum verborum indiſcretus ferè, & promiſcuus vſus his libris, vt qui perſonatum habet, dignitatem quoque habere dicatur, *cap.* 8. *ſup. de conſtit. cap.* 8. *ſup. de reſcr.* Secernuntur tamen interdum, *vt in cap* 11. *de reſcr. in* 6. *& in cap.* 1. *de elect. eod. libro.* Fortè hoc modo poſſunt inuicem ita diſtingui, vt perſonatus ſit quædam dignitas in choro, quæ licet non habeat iuriſdictionem adiũctam, tamen aliquibus prærogatiuis vtitur, & ceteros canonicos præcedit, qualis primiceriatus, & aliæ eiuſmodi. Ita diſtingui ſolent perſonæ à canonicis alijs, *cap.* 22. *ſup. de elect. & in cap.* 7. *j. de conceſſ. præb.* Dignitas verò ea eſt, quæ admi-

niſtrationem, notionem, aut animarum curam habet; vel cui extra chorum munus aliquod, vel officium incumbit: & hinc eſt quòd *in c. 54. § ſed cùm in iure. ſup. de elect.* Archidiaconatus qui curam animarum adiunctam, vel iuriſdictionem aliquã non habet, ſimplex perſonatus dicitur: quaſi cùm hæc habet pro conſuetudine Eccleſiæ cathedralis, dignitas ſit, non ſimplex perſonatus. Igitur dignitas omnis, & perſonatus eſt indiſtinctè: At non æquè perſonatus dignitas eſt, ſed per *κατάχρησιν* tantùm, propter miniſterium chori, & honorem primi conſeſſus, quem canonici inferiores debẽt perſonatum habenti. Dantur autẽ præbendæ ſiue beneficia Clericis, vt ex his ſibi ſufficere queant: & id quidem *πρὸς ὄψιν, ἀ πρὸς τρυφήν*· his enim viuere de altari, non luxuriari permittitur, vt ait D.

Hierony. Ea ratio eſt, cur olim prohibitum fuerit, ne qui ex patrimonio ſe alere poſſent, quicquam ex bonis Eccleſiæ percipe-rent, *can. clericos. & ſeq. 1. qu. 2. can. fin. 12. qu. 1. can. fin. 16. qu. 1.* ídque etiam conſtitutum eſt, *l. 6. & 17. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* Iuſtinianus ipſe *N. 3. in fine*, beneficia Eccleſiæ eis cõferri non vult, qui aliunde habent ἔφοδον ἀφορμὴν, neque æquum cenſet, vt ipſe ait, δι' ἃς παρὰς ἐκκλησιαστικὰς εἰς ἀνθρώπους ὑπηρετοῦντας ὑπηρέτου. Eadem ratio facit vt clericorum cuiquã non liceat abſque diſpenſatione, plura habere beneficia, *cap. 3. tit. ſuper. cap. 5. 13. 28. hoc tit. cap. fin. j. de relig. dom.* & qui duas habet præbendas, eligere tantùm poteſt, quam retinere malit. *cap. 7. & 14.* quod ſummè æquum eſt, cùm magis ſit, vt ſingula officia ſingulis quibuſque perſonis com-

committi debeant, *can. singula. 89. dist.* Ita Aristoteles *lib. 2. Polit.* in Republica bene instituta negat fieri, vt vnus plures magistratus obtineat; eáque ratione Carthaginenses insectatur, qui id indulgebant. φαῦλον δὲ, inquit, δοξειεν εἶναι, καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν· ἓν γὰρ ὑφ' ἑνὸς ἄρις' ἀποπλεῖται. Idem legibus ciuilibus comprobatum est. *l. fin. C. de assess. l. 10. ex parte. C. de prox. sacr. scrin. l. 5. C. qui milit. poss. vel non.* Sic & Liuius lib. 39. *Duos simul vnus magistratus, præsertim curules, neque capere potest, nec gerere.* Potest verò Episcopus, si præbendæ tenues sint admodum, & exigui earum reditus, aliquam eis Ecclesiam vnire, vel adiungere, *cap. 33.* quod admittit constitutio Aurelianēsis & Blœsensis Christianissimorum Franciæ principum. Potest etiam præbenda aliqua tolli,

cuius poſtea reditus ſingulis canonicis diuidantur, *cap.* 8. *ſup. de conſtitut.* Præbendas autem quæ ſemel conſtitutæ ſunt, diuidi vetuit concilium Turonenſe, *cap.* 8. 20. 25. 36. Excipitur illud, niſi earum ita vberes ſint prouentus, vt ſine graui incommodo ſectionem pati poſſint. *cap.* 26.

De Clerico ægrotante vel debilitato. Tit. 6.

CVm beneficia Eccleſiaſtica cedant in penſationem miniſterij, quod clerici exhibent, *cap.* 16. *tit. ſuperiore*: de illo dubitari poterat; an qui ſenio, vel aduerſa valetudine laborarent, ex Eccleſiæ bonis emolumentum percipere poſſent: cùm per id tempus, exſequendo officio ſuo pares non eſſent. Sed titulus hic docet, eos non priuari beneficiis ſuis, nec ideo minùs integrè

percipere posse fructus & prouentus eorum. *cap. 1. 2. pen.* At quemadmodum iure ciuili, tutoribus ijs qui sufficere administrationi non possunt, dantur actores siue curatores, qui & adiutores dicuntur. *l. 13. §. fin. ff. de tutelis:* ita hoc iure, Episcopo vel inferiori sacerdoti cuilibet, qui munus suum probè exsequi non potest, dispensator siue coadiutor adiungitur, qui vicem eius agat. *can. 1. 7. qu. 1. cap. 3. 4. & vlt. hoc tit.* Eo sensu Synesius *ep. 57. in fine*, dum de abdicando Episcopatu cogitat: ἀνθαιρετέος ἡμῖν ἢ μᾶλλον ἡμῖν αἱρετέος, πάντως ὁ αἱρετέος ὁ ἀνὴρ ὡπος, ὅστις ἀν ἦ, πάντως ἐμοὶ καὶ πολιτικὰ φανεῖται σοφώτερος. Eiusmodi autem coadiutoribus certa prouentuum & fructuum portio assignanda est, quæ ipsis alendis & exhibendis sufficere queat. Quod si negligatur ab

Episcopo, iudices sæculares id ad sollicitudinem suam reuocare debent, vt edicitur constitutione lata in comitijs Aurelianensibus. §. 7.

De Institutionibus. Tit. 7.

EXponitur hoc titulo, quo iure clericorum institutiones fieri debeant, quibúsque intercedentibus. Eæ vt plurimùm pertinent ad Episcopos aut eorum officiales. *cap.* 3. Pertinent etiam interdum ad Archidiaconos. *cap. pen.* & Archipresbyteros. *cap.* 15. s. *de offic. & pot. iud. del.* In his maximè dispiciendum est, ne vltrà quàm facultates Ecclesiæ patiantur, quiquam in monasteriis vel Ecclesiis instituantur. *cap.* 9. s. *de vita & hon. cler. cap.* 1. & 4. *hoc tit.* ídque constituit etiam Iustinianus *N.* 3. *cap.* 2. & *N.* 6. *cap.* 8. adeò vt caueat nominatim œcono-

mum, aut Archiepiſcopum, qui ſupra ſtatutum numerum clericos ordinauerit, cogi de ſuo alere ordinatos. quod huic iuri conſentiens eſt, quo Epiſcopi qui ſine titulo clericum quemlibet inſtituerint, iubentur interea, donec beneficium aliquod contulerint, ſumptum & alimoniam eis ſubminiſtrare. *cap.* 13. §. *de æt. & qual. ord. cap.* 2. 4. 16. §. *de præb. cap.* 37. *eod. tit. in* 6. Idque in Francia vſu eſt comprobatum ex conſtitutione Aurelianenſi, §. 12. Antiquitus omnino ordinatio facta ſine titulo non valebat; ídque quodammodo in iniuriam eius, qui ordinauerat. *can.* 1. & 2. 70. *diſt.* Continetur & illud, ne alij quàm clerici in canonicos cooptentur, néve in beneficijs Eccleſiaſticis laici ius aliquod vindicent. *cap.* 2. ne quis etiam beneficium, quod in ſua collatione eſt, à ſe recipere poſſit. *cap. vlt.* illud

item ne beneficia addicantur cuiusdam loci & ciuitatis personis, sed clerici admittantur vndecumque sint, si eos idoneos & litteratos esse constiterit. *cap. 5.* Iure ciuili constitutum est, vt non ex alia possessione clerici ordinentur, quàm ex ea, in qua Ecclesia constituta est. *l.* 11. *in ecclesiis. C. de episc. & cler.* Id alia ratione plerumque admittitur, si ab initio ea lex dicta fuerit ab eo qui Ecclesiam construxit, vt qui ex aliqua ciuitate, & vico originem ducerent, quibuscumque alijs præferantur. Receptum est illud moribus Franciæ, vt nullus possit beneficium Ecclesiasticum obtinere, qui regnum non colat, aut saltem à supremo principe litteras & rescriptum impetrauerit, quo in ciuem adsciscatur, eique concedatur eodem iure vti, quo indigenæ ipsi, & αὐτόχθονες. Ad vindicandam huius iuris, quod

apud nos obtinet, rationem facit insignis locus Ciceronis *in orat. pro Cornelio Balbo*, de sacris ex Græcia Romam illatis, quæ tamen fas non erat eum attingere qui ciuis non esset, aut fœderatus, vel speciali lege lata ciuitatis Romanæ iura adeptus. *Maiores nostri* (inquit) *sacra pro ciuibus ciuem facere voluerunt, vt deos immortales scientia peregrina & externa, mente domestica & ciuili precarentur.* Id etiam in ecclesia Lugdunensi, & quibusdam aliis huius regni magna religione seruatur, vt in consortium canonicorum non possint allegi, nisi qui nobilitatis titulo, & prærogatiua fruantur. At hoc iure ea consuetudo non probatur, quasi in his quæ Ecclesiæ sunt nullus delectus nobilitatis, aut dignitatis sit habendus. *cap. pen. §. de præbendis.*

De conceſſione præbendæ & eccleſiæ non vacantis.

Tit. 8.

TItuli ſuperioris pars veluti quædam eſt titulus hic: vt inſtitui quiſquam non poſſit in ea Eccleſia, quæ nondum vacat; vt enim is dicitur improbus, qui de viui hereditate ſollicitus eſt. *l.* 2. §. *interdum. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* ita deſiderium eorum eccleſiaſtici canones ſemper improbauere, qui ſuperſtitis Epiſcopi aut ſacerdotis dignitatem & beneficium ambirent. *can. factus eſt. can. non furem.* 7. *qu.* 1. Ideo illa electio momento rationis deficitur, cuius tractatus habitus eſt, cùm Epiſcopus in extremis ageret, necdum eſſet mortuus, aut iuſta funerum eius corpori facta. *cap.* 36. *ſ. de elect.* Ii etiam qui paſſi ſunt ſe ad eccleſiam viuentis ad-

moueri, à ſacris arcentur. *cap.* 1. *hoc tit.* Neque vllum ius ex eiuſmodi conceſſionibus conſequuntur, ne poſſeſſoribus quidem fato functis. *cap.* 4. *j. de donat. cap.* 3. *hoc tit.* Illud quoque concilio Lateranenſi prohibitum eſt, quo turpis quælibet ſuſpicio, & captandæ mortis alterius occaſio amoueretur, ne generaliter liceat Epiſcopo aliquem canonicum recipere, ſub exſpectatione præbendæ proximò vacaturæ, vel eccleſiam proximè vacaturam conferre. *cap.* 2. 11. 13. *hoc tit. cap.* 19. 25. *ſ. de præb.* Idem in ſummo Pontifice obtinet, ex conuentionibus habitis inter Leonem X. & Franciſcum I. Francorum regem, quibus in hoc regno gratiæ quælibet exſpectatiuæ, & reſeruationes ad beneficia vacatura ſublatæ ſunt.

Ne ſede vacante aliquid innouetur. Tit. 9.

VErum eſt ſede vacante ea quæ ſunt iuriſdictionis ad capitulum deuolui, *cap.* 14. s̃. *de maior. & obed. cap. vn. eodem tit. in* 6. *cap.* 9. j̃. *de hæret.* At in his quæ rerum diſpenſationem, & adminiſtrationem ipſam ſpectant, omnimodo locum habet quod hoc titulo proponitur, ſede vacante innouari nihil poſſe. Ideo interim clerici vel capitulum prohibentur quicquam ſibi vindicare ex iuribus Eccleſiæ, aut prælati, qui in fata conceſſit. *can. hæc huius placiti.* 12. *q.* 2. *cap* 45. s̃. *de elect. cap.* 40. *eod. tit. in* 6. & omnimodo, de ſtatu Eccleſiæ ipſius quicquam conſtitui non poteſt, dum non eſt qui eius iura probè tueri & exſequi poſſit, *cap.* 1. Si quid & ſi quæ interim à capitulo

conſtitutio facta fuerit quæ Epiſcopo inferat præiudicium, nulla eſt, etiamſi iureiurando canonicorum firmata fuerit. *cap.* 27. s̃. *de iureiur.* Sed nec ſi iudicium deceſſori dictatum fuerit, poteſt lis ſuo marte procurrere, dum Eccleſia ſacerdotem vel Epiſcopum non habet. *cap. fin.* Non poteſt item capitulum præbendas vel eccleſias, quę interim vacauerint, conferre, *cap.* 2. præſentatos verò inſtituere poteſt. *cap.* 1. *de inſtit. in* 6. quod magis iuriſdictionē ſpectat. Id autem iure ſuo habet Rex Frãciæ, vt ſede vacante, in Eccleſiis cathedralibus regni ſui omnibus ad inſtar Epiſcopi beneficia, ſiue præbendas quibus cura animarum non eſt annexa, conferre poſſit, & fructus quoſcunque ſuos faciat: quod ei competit ratione cuſtodiæ & tuitionis quam illis exhibet: ἔστι γὰρ ὁ βασιλεὺς γήσιος καὶ νόμιμος θεράπων.

De his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli.
Tit. 10.

SVperior tirulus docuit fieri nihil debere à capitulo pendente ſtatu Eccleſiæ, cùm prælatus nullus eſt: hic vero docet, quo iure valeant ea, quæ prælati inconſulto capitulo fecerunt. Capitulum *in can. Eccleſia.* 16. *qu.* 1. dicitur ſenatus ſiue cœtus preſbyterorum. Id autem conſtituitur, prælatum nihil facere poſſe ſine conſenſu capituli ſui: ideo Epiſcopi ſine conſilio canonicorum ſuorum Abbates vel alias eccleſiaſticas perſonas inſtituere, vel deſtituere non poſſunt. *cap.* 4. *&* 5. *hoc tit.* Eorum quoque ſententia nullius momenti eſt, ſi clerici ab eo vocati non fuerint. *can. pen.* 15. *qu.* 7. quod & continetur cap. 10. addit. 4. ad capit.

Caroli magni. Verùm hoc ita, nisi vsus consensu vtentium comprobatus id Episcopo dederit, vt iurisdictionem habeat solus absque capitulo. *cap. 3. de consuet. in 6.* Non possunt etiam Abbates, cùm ius patronatus ad conuentum pertinet, absque sententia collegij quemquam præsentare. *cap. 6.* Pari ratione non valet alienatio aut concessio à quoquam prælato facta, nisi clerici illam comprobauerint subscriptione sua, aut saltem ratam habuerint, vel scientes non contradixerint. *cap. 1. 2. 3. 8. pen.*

De his quæ fiunt à maiori parte capituli. Tit. 11.

ERe titulus hic superiori adijcitur, vt pareat quando rectè cõsensus capituli rei cuiquam accedat. Id verò fit cùm pars maior, & ea magis integra aliquid

Episcopo, iudices sæculares id ad sollicitudinem suam reuocare debent, vt edicitur constitutione lata in comitijs Aurelianensibus. §. 7.

De Institutionibus. Tit. 7.

EXponitur hoc titulo, quo iure clericorum institutiones fieri debeant, quibúsque intercedentibus. Eæ vt plurimùm pertinent ad Episcopos aut eorum officiales. *cap.* 3. Pertinent etiam interdum ad Archidiaconos. *cap. pen.* & Archipresbyteros. *cap.* 15. s. *de offic. & pot. iud. del.* In his maximè dispiciendum est, ne vltrà quàm facultates Ecclesiæ patiantur, quiquam in monasteriis vel Ecclesiis instituantur. *cap.* 9. s. *de vita & hon. cler. cap.* 1. & 4. *hoc tit.* ídque constituit etiam Iustinianus *N.* 3. *cap.* 2. & *N.* 6. *cap.* 8. adeò vt caueat nominatim œcono-

mum, aut Archiepiſcopum, qui ſupra ſtatutum numerum clericos ordinauerit, cogi de ſuo alere ordinatos. quod huic iuri conſentiens eſt, quo Epiſcopi qui ſine titulo clericum quemlibet inſtituerint, iubentur interea, donec beneficium aliquod contulerint, ſumptum & alimoniam eis ſubminiſtrare. *cap.* 13. s. *de æt. & qual. ord. cap.* 2. 4. 16. s. *de præb. cap.* 37. *eod. tit. in* 6. Idque in Francia vſu eſt comprobatum ex conſtitutione Aurelianenſi, §. 12. Anti-quitus omnino ordinatio facta ſine titulo non valebat; ídque quodammodo in iniuriam eius, qui ordinauerat. *can.* 1. & 2. 70. *diſt.* Continetur & illud, ne alij quàm clerici in canonicos cooptentur, néve in beneficijs Eccleſiaſticis laici ius aliquod vindicent. *cap.* 2. ne quis etiam beneficium, quod in ſua collatione eſt, à ſe recipere poſſit. *cap. vlt.* illud

item ne beneficia addicantur cuiusdam loci & ciuitatis personis, sed clerici admittantur vndecumque sint, si eos idoneos & litteratos esse constiterit. *cap. 5.* Iure ciuili constitutum est, vt non ex alia possessione clerici ordinentur, quàm ex ea, in qua Ecclesia constituta est. *l.* 11. *in ecclesijs. C. de episc. & cler.* Id alia ratione plerumque admittitur, si ab initio ea lex dicta fuerit ab eo qui Ecclesiam constituxit, vt qui ex aliqua ciuitate, & vico originem ducerent, quibuscumque alijs præferantur. Receptum est illud moribus Franciæ, vt nullus possit beneficium Ecclesiasticum obtinere, qui regnum non colat, aut saltem à supremo principe litteras & rescriptum impetrauerit, quo in ciuem adsciscatur, eique concedatur eodem iure vti, quo indigenæ ipsi, & αὐτόχθονες. Ad vindicandam huius iuris, quod

apud nos obtinet, rationem facit insignis locus Ciceronis *in orat. pro Cornelio Balbo*, de sacris ex Græcia Romam illatis, quæ tamen fas non erat eum attingere qui ciuis non esset, aut fœderatus, vel speciali lege lata ciuitatis Romanæ iura adeptus. *Maiores nostri* (inquit) *sacra pro ciuibus ciuem facere voluerunt, vt deos immortales scientia peregrina & externa, mente domestica & ciuili precarentur.* Id etiam in ecclesia Lugdunensi, & quibusdam aliis huius regni magna religione seruatur, vt in consortium canonicorum non possint allegi, nisi qui nobilitatis titulo, & prærogatiua fruantur. At hoc iure ea consuetudo non probatur, quasi in his quæ Ecclesiæ sunt nullus delectus nobilitatis, aut dignitatis sit habendus. *cap. pen. §. de præbendis.*

De conceſſione præbendæ & eccleſiæ non vacantis.

Tit. 8.

TItuli ſuperioris pars veluti quædam eſt titulus hic: vt inſtitui quiſquam non poſſit in ea Eccleſia, quæ nondum vacat; vt enim is dicitur improbus, qui de viui hereditate ſollicitus eſt. *l.* 2. §. *interdum. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* ita deſiderium eorum eccleſiaſtici canones ſemper improbauere, qui ſuperſtitis Epiſcopi aut ſacerdotis dignitatem & beneficium ambirent. *can. factus eſt. can. non furem. 7. qu.* 1. Ideo illa electio momento rationis deficitur, cuius tractatus habitus eſt, cùm Epiſcopus in extremis ageret, necdum eſſet mortuus, aut iuſta funerum eius corpori facta. *cap.* 56. §. *de elect.* Ii etiam qui paſſi ſunt ſe ad eccleſiam viuentis ad-

moueri, à sacris arcentur. *cap. 1. hoc tit.* Neque vllum ius ex eiusmodi concessionibus consequuntur, ne possessoribus quidem fato functis. *cap. 4. §. de donat. cap. 3. hoc tit.* Illud quoque concilio Lateranensi prohibitum est, quo turpis quælibet suspicio, & captandæ mortis alterius occasio amoueretur, ne generaliter liceat Episcopo aliquem canonicum recipere, sub exspectatione præbendæ proximò vacaturæ, vel ecclesiam proximè vacaturam conferre. *cap. 2. 11. 13. hoc tit. cap. 19. 25. §. de præb.* Idem in summo Pontifice obtinet, ex conuentionibus habitis inter Leonem X. & Franciscum I. Francorum regem, quibus in hoc regno gratiæ quælibet exspectatiuæ, & reseruationes ad beneficia vacatura sublatæ sunt.

Ne ſede vacante aliquid innouetur. Tit. 9.

VErum eſt ſede vacante ea quæ ſunt iuriſdictionis ad capitulum deuolui, *cap.* 14. s̃. *de maior. & obed. cap vn. eodem tit. in* 6. *cap.* 9. ſ̃. *de hæret.* At in his quæ rerum diſpenſationem, & adminiſtrationem ipſam ſpectant, omnimodo locum habet quod hoc titulo proponitur, ſede vacante innouari nihil poſſe. Ideo interim clerici vel capitulum prohibentur quicquam ſibi vindicare ex iuribus Eccleſiæ, aut prælati, qui in fata conceſſit. *can. hæc huius placiti.* 12. *q.* 2. *cap* 45 s̃. *de elect. cap.* 40. *eod. tit. in* 6. & omnimodo, de ſtatu Eccleſiæ ipſius quicquam conſtitui non poteſt, dum non eſt qui eius iura probè tueri & exſequi poſſit, *cap.* 1. Si quid & ſi quæ interim à capitulo

constitutio facta fuerit quæ Episcopo inferat præiudicium, nulla est, etiamsi iureiurando canonicorum firmata fuerit. *cap. 27. §. de iureiur.* Sed nec si iudicium decessori dictatum fuerit, potest lis suo marte procurrere, dum Ecclesia sacerdotem vel Episcopum non habet. *cap. fin.* Non potest item capitulum præbendas vel ecclesias, quę interim vacauerint, conferre, *cap. 2.* præsentatos verò instituere potest. *cap. 1. de instit. in 6.* quod magis iurisdictionē spectat. Id autem iure suo habet Rex Frāciæ, vt sede vacante, in Ecclesiis cathedralibus regni sui omnibus ad instar Episcopi beneficia, siue præbendas quibus cura animarum non est annexa, conferre possit, & fructus quoscunque suos faciat: quod ei competit ratione custodiæ & tuitionis quam illis exhibet: ἔστι γὰρ ἀιτῶν γνήσιος καὶ νόμιμος προστάτης.

De his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli.
Tit. 10.

SVperior tirulus docuit fieri nihil debere à capitulo pendente ſtatu Eccleſiæ, cùm prælatus nullus eſt: hic vero docet, quo iure valeant ea, quæ prælati inconſulto capitulo fecerunt. Capitulum *in can. Eccleſia.* 16. *qu.* 1. dicitur ſenatus ſiue cœtus preſbyterorum. Id autem conſtituitur, prælatum nihil facere poſſe ſine conſenſu capituli ſui: ideo Epiſcopi ſine conſilio canonicorum ſuorum Abbates vel alias eccleſiaſticas perſonas inſtituere, vel deſtituere non poſſunt. *cap.* 4. *&* 5. *hoc tit.* Eorum quoque ſententia nullius momenti eſt, ſi clerici ab eo vocati non fuerint. *can. pen.* 15. *qu.* 7. quod & continetur cap. 10. addit. 4. ad capit.

Digitized by Google

Caroli magni. Verùm hoc ita, nisi vsus consensu vtentium comprobatus id Episcopo dederit, vt iurisdictionem habeat solus absque capitulo. *cap. 3. de consuet. in 6.* Non possunt etiam Abbates, cùm ius patronatus ad conuentum pertinet, absque sententia collegij quemquam præsentare. *cap. 6.* Pari ratione non valet alienatio aut concessio à quoquam prælato facta, nisi clerici illam comprobauerint subscriptione sua, aut saltem ratam habuerint, vel scientes non contradixerint. *cap. 1. 2. 3. 8. pen.*

De his quæ fiunt à maiori parte capituli. Tit. 11.

ERe titulus hic superiori adijcitur, vt pareat quando rectè cõsensus capituli rei cuiquam accedat. Id verò fit cùm pars maior, & ea magis integra aliquid

conſtituit, auctoritatémque ſuam adhibuit. πολέων δέ τ' μῆτις ἀρίστη, vt inquit Homerus; ideóque id perinde eſt, ac ſi omnes conſenſiſſent, vt ſupra cõſtitit, tit. 6. lib. 1. Ita Cœlius apud Ciceronem *lib.* 8. *ad fam. ep.* 7. legis cuiuſdam caput profert, quo ita cautum erat, *Quod iudicum maior pars iudicarit, ius ratúmque eſto.*

Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

Tit. 12.

PLanum eſt quod hoc titulo proponitur, prælatos qui præbendarum, eccleſiarum, & beneficiorum quorumlibet collationem habent, ea integrè, ſine diminutione, ſine penſionis vel iuris cuiuſquam retentione vlla conferre debere: quaſi id ſimoniæ ſpeciem referat, ſi ab his, quibus eadem beneficia conce-

dunt, quamlibet ex prouentibus partem paciſcantur. Ad huius tituli ſententiam pertinet illud Senecæ, lib. 2. de benefic. *Hæc curæ habebis, ſi grata quæ præſtabis æſtimari voles, vt beneficia tua illibata & integra ad eos, quibus promiſſa ſunt, perueniant, ſine vlla, quod aiunt, deductione.*

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. Tit. 13.

ID primùm Iuſtinianus conſtituit *N.* 7. ne res ad quamlibet Eccleſiam pertinentes alienarentur. Quod autem eſt in l. 14. iubemus. & l. 17. τὰ ἀφορώμενα. C. de ſacroſ. eccl. id pertinet tantùm ad bona eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & earum quæ ſuberant Archiepiſcopo ſiue Patriarchæ Conſtantinopolitano. Alienationis verbo, vt d. *N.* 7. docet, & caput 5. huius tituli, quilibet

contractus continentur, quibus rei proprietas transfertur, & à iuribus ecclesiæ, cedit in aliorum iura. Continetur & manumissio, vt qui Ecclesiæ præest, eius seruos manumittere non possit, nisi aliquod compensatiõnis loco in Ecclesiam conferat. *cap.* 3. & 4. vtcumque enim in rebus ecclesiæ potestatem habeat, tamen in administratione patrimonij manumissio non est, *l.* 13. *seruus. ff. de manumiss.* Igitur, cùm res Ecclesiæ est alienata, & contractus non valet, & pœna excommunicationis percelluntur qui alienauerint, vel alienatum receperint, *cap.* 6. *hoc tit. can. non liceat.* 12. *qu.* 2. A præscriptione tricennij, tempus quoque subducitur, quo is qui alienauit, præfuit ecclesiæ. *can. si sacerdotes.* 16. *qu.* 3. quod ex iuris ciuilis æquitate sumptum est, quâ filio, cuius res à patre alienata est,

contra

contra patris contractum venienti, non obstat tempus quo in sacris patris fuit, quia agere liberum ei non erat. *l. 1. §. vlt. C. de annali except. N. 22. cap. 24.* Valet autem interdum rerum Ecclesiasticarum alienatio aliquibus ex causis, veluti propter redemptionem captiuorum. *can. & sacrorum. can. sicut. 12. qu. 2.* Qua de causa & vasa ipsa, & quælibet ornamenta cultui Ecclesiæ destinata licitè distrahi possunt, & obligari. *l. 21. sancimus. C. de sacros. Eccles.* Sed & si quæcumque alia necessitatis ratio vrgeat, aut vtilitas grauior & amplior ostendatur, admittendum est, vt alienatio fieri possit. *can. sine exceptione. 12. qu. 2.* Ea ferè causa versatur, si possessiones Ecclesiæ sint minùs vtiles, si agri infructuosi & steriles, aut ædificia collapsa. *cap. 8. §. fin. hoc tit. N. 120. cap. 7.* His casibus, vt contractus suis stet viri-

bus, accedere debet consensus capituli. *d. §. fin. & cap. sua. ẽ. De his quæ fiunt à præl. sine cons. capit.*

De Precarijs. Tit. 14.

DE precario & precariis est titulus hic. Precarium ex iure ciuili, Gregorius *in cap. fin. hoc tit.* definit esse conuentionem quandam, qua precibus intercedentibus, res aliqua vtenda petenti conceditur, quamdiu patiatur is qui concessit : quod quidem reuocatum intelligitur, cùm is qui rogauit è viuis abiit; vel qui rogatus est, rem precariò concessam alienauit. Precariæ solo tantùm nomine cum precario consentiunt : nisi quòd perinde ac precarium precibus fiunt; in reliquis à precario penitus sunt diuersæ : ideóque ex voluntate concedentium non reuocantur.

Digitized by Google

d. cap. vlt. §. vlt. quod tamen in precario ineſt maximè. Singulis luſtris reuocantur. *cap.* 1. cùm precarium tamdiu duret, quamdiu is, qui rogatus eſt, contrariæ voluntatis conteſtationem non interponit. Precariam doctor maximus *lib.* 1. *feud. tit.* 5 *& lib.* 4. *obſ. cap.* 7. definit eſſe ceſſionem vſusfructus rei immobilis, quæ fit ei qui Eccleſiæ rem ſuam donauit, vel liberis eius, in ea re quæ data eſt, vel in aliis rebus Eccleſiæ, ad tempus certum, vel in tempus vitæ donatoris tantùm, aut etiam filiorum eius; idque plerumque certa mercede conſtituta, qua in re à precario etiam differt quod ſemper eſt gratuitum. Fit etiam de rebus quibuſcumque ad Eccleſiam pertinentibus ſub annuo cenſu, etiam ſi nulla præceſſerit donatio eius qui precariam accepit. Cùm autem non ex fide bona

ab eo qui rerum ecclesiasticarum habet dispensationem facta est, à successore potest reuocari, nec ad id impediẽdum obest cari, nec ad id impediẽdum obest vllius pœnæ vinculum, quo se vel Ecclesiam adstrinxit. *cap.* 2. *hoc tit.* *can. precariæ.* 12. *qu.* 2. Concilio Liptinensi, vt est *in capitularibus Caroli Magni lib.* 5. *cap.* 3. in magna fisci penuria, bellis imminentibus constitutum fuit, vt sub annuo censu precariæ nomine, res Ecclesiæ retineri possent: Sed illud idem videtur postea ab eodem reuocatum, vt constat ex lib. 7. *cap.* 104. & ex can. 9. cuiusdam Synodi quæ est adiecta ad calcem eorumdem capitularium Caroli Magni.

De Commodato. Tit. 15.

CAusæ precarij & commodati non multùm diuersæ

sunt: in eo tamen commodatum à precario differt, quòd precarium quandocumque, commodatum verò post tempus præstitutum reuocari possit. Quæ autem sub hoc titulo Gregorius Pontifex edicit, vt qui rem aliquam vtendam accepit, de leuissima culpa teneatur; vt casus fortuiti euentum non aliter ferat, quàm si culpa aut mora casum præcesserit, aut lex conuentioni dicta sit; item vt ante vsum expletum, rem commodatam repetere non liceat; ea ex iure ciuili sunt omnia, vt alia pleraque his libris.

De Depositо. Tit. 16.

COmmodatum de quo titulo superiori, vtilitatem accipientis respicit: depositum verò solius dantis, & totum ex fide constat, quam pleniorem desi-

derat, quàm vllus alius contractus. Quia verò nullum versatur eius emolumentum, cui res quælibet commendata est; ideo de leui vel leuissima culpa non tenetur: dolum tantùm præstat, & latam culpam, quæ dolo proxima est. Duo casus excipiuntur, si se deposito obtulerit, vel aliquid pro custodia acceperit: illis enim de omni culpa tenetur. Id habet commune depositarius cum commodatario, quòd ei etiam casus fortuiti damnum incumbat, si pactum interceſſit vel culpa; aut post moram res interierit. In deposito illud singulare est & præcipuum, quòd rem depositam petenti nulla quamtumlibet iusta compensationis exceptio obest. Hæc ex iure ciuili concinnauit Gregorius *in cap. fin. hoc tit.* Quod verò est *in cap.* 1. ne ex depositio facto apud clericum aliter Ecclesia te-

neatur, quàm pecunia in eius vtilitatem cesserit, licèt ex iure ciuili non sit, manifestam tamen habet rationem.

De emptione & venditione.
Tit. 17.

DVo tituli qui præcesserunt fuêre de his contractibus, qui gratia vnius tantùm fiunt. Nunc auctor horum librorum accedit ad illos, qui vtriusque contrahentis commodum respiciunt. Horum primus est emptio & venditio, cuius origo à iure gentium sumpsit initium. Ea nihil aliud est quàm rei suæ alienatio, iurisque sui in alium translatio, vt ait Seneca. *lib.* 5. *de benef. cap.* 10. Licèt iure ciuili sit indultum, vt in emendo & vendendo possint contrahentes se inuicem circumscribere, id est, quod pluris est minoris emere, vel quod

minoris sit, pluris vendere. *l. 16. in causæ. §. idem Pompon. ff. de minor. l. 22. item si. §. vlt. ff. locati.* tamen hoc iure, quod plerumque magis ad naturæ æquitatem accedit, illud perinde non admittitur: ideo prohibetur ne ignarum & peregrinum emptorem decipiat venditor, & ei maiori pretio rem obijciat, quàm par sit, aut consuetudo regionis ferat. *cap. 1. Repentinos emptores sæpe circumuenit sagax astutia venditorum*; vt inquit Arnulphus Lexouiensis Episcopus *ep. 36.* Eadem ratio facit, vt quoties res Ecclesiæ minori pretio alienata est, restituatur in integrum. *cap. pen. §. de rebus eccles. non alien.* Sed & quod probatum, *l. 2. C. de resc. vend.* vt venditore decepto vltra dimidium iusti pretij, arbitratu emptoris, vel contractus rescindatur penitus, vel quod iusto pretio deest exsoluatur; hoc iure receptũ quoque est.

cap. 3. & pen. Quod autem continetur constitutione 210. *lib. 5. Capit. Caroli Magni*, ne is omnino audiatur qui tenui pretio se rem proiecisse dicit, id accipiendum est, vt & l. 15. *quisquis. C. de resc. vend.* de eo, qui minoris quidem quàm fungitur, rem vendidit, non tamen minoris, quàm est dimidia pars iusti pretij: huic enim succurri naturalis ratio postulat. Rectè verò dominus Cuiacius *lib. 16. obs. cap. 18.* negat quod venditori d. l. 2. concessum est, ad emptorem porrigi, qui inconsultè dimidio pluris rem emit, quàm valet: idque euidenti æquitatis ratione, quòd emptor vltroneus ad emptionem accedat, & sua voluntate negotium gerat. *l. 44. §. fin. ff. ad damn. inf.* venditor verò plerumque ad rerum suarum distractionem inuitus compellatur, prementibus rei familiaris angustiis. Sic Cassiodorus lib. 5. var.

Grande commodum est cum indigentibus paciſci, quando fames ſolet totum contemnere, vt neceſsitatem ſuam poſsit expellere. Eo ferè ſenſu Valentinianus in N. de parent. qui fil. ſuos diſtr. *Nihil est ad quod non desperatio ſalutis impellat: nihil turpe, nihil vetitum credit esuries: ſola cura est vt qualicumque ſorte viuatur.* Accedit & illud Plinij epiſt. vlt. lib. 1. *Mala emptio*, inquit, *ingrata est eo vel maximè, quòd exprobrare ſtultitiam domino videtur.* Id non æquè de venditore dici poteſt, quem non inconſultus calor adigit ad vendendum, ſed penuria & rerum anxietas. *l. 36. ita vt. §. 1. ff. mand.* Cùm autem natura contractus empti, venditi id contineatur, vt venditor authoritatis maneat obnoxius, tribus tamen caſibus euictionem non præſtat: ſi videlicet ei non fuerit denuntiatum: ſi emptor ſua culpa, id eſt per

Digitized by Google

contumaciam, vel iniuriâ iudicis fuerit condemnatus. Id continetur *cap. vlt. hoc tit.* quod æquè ex iure ciuili est proditum.

De Locato & conducto.
Tit. 18.

REctè titulum superiorem sequitur titulus de locato & conducto; quia id contractus genus proximè venditionem & emptionem refert. Ex iure autem ciuili ea sunt etiam ferè omnia, quæ hoc titulo, maximè cap. pen. & vlt. proponuntur: nam vt propter sterilitatem & vim maiorem, quam θεοῦ βίαν Græci vocant, remittatur pensio colonis, nisi vberiores prouentus superioris aut sequentis anni damnum quod emersit compensare queant, id est ex l. 14. ex

conducto. §. Papinianus. & l. si merces. 25. §. si maior. ff. hoc tit. Item vt is qui locauit, colonum, vel inquilinum, ante diem finitæ conductionis expellere possit, si domum suam inhabitare, aut reficere velit, vel colonus in re locata malè versatus sit, id æquè est ex l. 3. C. eodem. Tribus superioribus adiicit Gregorius casum alium, si canon per biennium non sit solutus. Hoc verò pertinet ad emphyteusim Ecclesiasticam, qua pensione non soluta per biennium, res pleno iure reuertitur ad Ecclesiam. *N. 7. cap. 3. §. scire autem.* Quod pertinet ad res laicorum in emphyteusim datas, tempus triennij ei rei præstitutum est. *l. fin. C. de iu. emphyt.* Quintus casus est si non adhibito consensu domini, ἐμφυτεύματα siue meliorationes suas emphyteuta vendiderit; æquè enim hoc casu cadit à iure suo, & ad do-

minum, id est Ecclesiam siue alium quemlibet res in emphyteusim data reuertitur: quod cautum etiam est *d. l. fin.* Adijciendus est & sextus casus, qui & conductorem & locatorem respicit. Is est ex constitutione Zenonis *in l.* 34. *C. hoc tit.* (quam μέγας νόμος ἐξηγητὴς Cuiacius restituit *lib.* 12. *obs. cap.* 38.) Ista constitutione inductum fuit, vt contrahentibus vtrisque, liceret impunè intra annum conductionis à locatione discedere; nisi pacto ei beneficio fuisset nominatim renuntiatum. Huius rei suppetit vestigium satis manifestum *in cap. vlt. inf. ne præl. vices suas vel Eccles.* Hinc fortè etiam firmæ vocabulum, quod vulgare est, quódque vsurpant Pontifices passim his libris pro locationis nomine. *cap.* 2. *hoc tit. cap.* 24. *inf. de decimis. cap.* 7. *inf. de in. patr. cap.*

6. ne cler. vel mon. cap. un. de exceſſ. prælat. in Clem. quòd nimirum præſtita fide, qui conductionis & locationis contractum ſiue conuentionem inirent, paciſcerentur in ipſo contractu & in continenti, ne alterutri liceret præſcriptione dictæ legis vti, ſed conductio omnimodo firmaretur.

De rerum permutatione. *Tit.* 19.

RErum permutatione fit etiam alienatio rerum Eccleſiæ. *cap. 5. §. de reb. Eccl. al. vel non.* Itaque niſi debita ſolemnia intercedant, nullius eſt momenti. *cap. 2. hoc tit.* Id fuit receptum maximè, vt inter Eccleſias ipſas liceret permutare. *No. 54. cap. vlt. N. 120. cap. 7. & cap. 1. d. tit. de reb. Eccl. al.* Eo

etiam casu, quò res ad æqualitatem redigatur, licet supplementi nomine pecuniæ quantitatem aliquam adiicere, si possessio, quæ ex vna parte opponitur, maioris pretij sit & alteri præponderet. *cap. 6. hoc. tit.* Potest etiam Princeps iusta de causa rem Ecclesiæ accipere, & aliam æqualis aut maioris valoris in vicem iusti pretij eidem addicere. *N. 7. cap. 2. N. 55. & cap. 1. hoc tit.* Rem verò temporalem cum spirituali permutare non potest. *cap. vlt.* quia nimirum claudicaret comparatio rei impretiabilis cum re pretiabili. Est autem titulus hic etiam de permutationibus beneficiorum, siue præbendarum, quatenus valeant. Concilio Turonensi primùm inhibitum est, ne permutatio dignitatum fieret. *cap. 8. §. de præb.* Postea admissum est, vt intercedente Episcopi

authoritate permutatio beneficiorum fieri posset; quod si secus fiat, qui commutauerint, multantur iactura proprij beneficij. *cap. 5. & 7. hoc tit.* Cùm præbenda vacat, per resignationem quæ facta est permutationis gratia, aliis quàm ipsis qui permutarunt, hoc iure conferri non potest. *cap. 17. s. de præb. cap. vn. hoc tit. in 6. cap. vn. eodem tit. in Clement.* Hi verò qui de iure Regaliorum scripserunt, illud obtinere, & Senatusconsulto etiam comprobatum esse tradunt, (si post resignationem factam hinc inde, Episcopus ad quem præbendarum collatio pertinet, in fata concesserit, antequam vnus vel vterque eorum possessionem beneficiorum adeptus esset) aperta regalia posse Principem eadem beneficia cuilibet conferre, in præiudicium permutantium, vel eius qui ante Episcopi mortem possessionem sibi

sibi cessi beneficij nõ est adeptus: cùm ea de facto vacent eo tempore quo ius conferẽdi deuoluitur ad Principem.

De Feudis. Tit. 20.

CAput 1. huius tituli pertinet ad titulum de vsuris infrà. Quod est in cap. 2. (quod & vltimum est) breuem & enucleatam continet sententiam, vt mortuo eo, qui feudum siue fundum beneficiarium ab Ecclesia tenebat, liceat Episcopo, alij fundum eundem in beneficiũ concedere: vt item cliente rem beneficiariam alienãre, Episcopo liberum sit, filio vel alicui ex cognatione vassalli rem eandem addicere, Ecclesiæ nomine, & beneficij loco possidendam: demum vt cùm Ecclesia, vel qui ei præest, facultatẽ non habet feudum alienatum reuocãdi, possit illud dare

cuilibet, ea conditione vt repetat, & ad iura Ecclesiæ reuocatū nomine ipsius in feudum possideat. Reliqua quæ ad huius tituli quæstionem pertinent, ex variis locis horum librorum repeti possunt. Primum illud est, ne quis feudum quod habet ab Ecclesia prætextu paupertatis alienare possit; ita vt nec ciuitatis statutum, quo id conceditur, vires vllas habere dicatur, *capit. 6. sup. de constit.* Item vt qui feudum habent in Ecclesia, si clericum, vel rectorem ipsius Ecclesiæ interfecerint, eius iactura multentur, *cap. 12. inf. de pœnis.* vt nec ad eorum heredes possit pertinere, *cap. 10 eod. tit.* Id est notandum maximè, pro spiritualibus hominium siue homagium præstandū non esse, *cap. 15. inf. de accus. cap. 17. inf. de simon. cap. vlt. infr. de reg. iu.* Quod ad temporalia attinet, eorum ratione ipsæ personæ Eccle-

ſiaſticæ rectè præſtant iuramentum & obſequium fidelitatis, *cap.* 30. *ſup. de iureiur. cap. vn. §. verùm. de ſtatu Regul. in* 6. Eo modo inueſtituræ Epiſcoporũ Regi Franciæ ſemper competierũt, vt conſtat ex can. 22. *Hadrianus. cum ſeq.* 63. *diſt.* & ad eum pertinere dicũtur, in temporalis dominij recognitionem, quod ab eo Epiſcopi habent, vt docet Yuo Carnotẽſis præſul diſertiſſimus, *ep.* 8. & 60. In temporalibus autem certum eſt ipſum principem plenam, illibatam, nullis terminis circumſcriptam habere poteſtatem, ſiue vt ait Innocẽtius 3. ſummus Pontifex *in cap.* 13. *inf. qui fil. ſunt legit.* neminem ſuperiorem recognoſcere: & de eo poteſt competere, quod de Ioue ait Æſchylus in eo dramate cui nomen *προμηθεύς*

Τραχὺς μόνάρχος ὐδὶ ὑπεύθυνος κραίνει.

De Pignoribus, & alijs cautionibus. Tit. 21.

PIgnus à pugno appellatum eſt, quòd res quæ pignori dantur, manu tradantur. *l. plebs.* 137. §. 1. *ff. de verb. ſignif.* eóque ſenſu dictum videtur Græcis ἐνέχυρον. Poteſt eius nominis notatio, ſiue veriloquium aliter deduci, nimirum ἀπὸ τῦ πηγνῦναι, quod compingere, & conſtabilire ſonat: idque maximè habita ratione eius contractus, qui ſecuritate ſui ceteros confirmat; quandoquidem plus cautionis in rem eſt ſemper, quàm in perſonam, vt regula iuris ciuilis eſt definitum. Eò pertinet feſtiuiſſimum illud Martialis ἐξάστιχον, lib. 12.

Cùm rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis:

Idem, si pro me spondet agellus, habes.

Quod mihi non credis veteri, Telesine, sodali,
Credis colliculis, arboribúsque meis.

Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus:
Exilij comitem quæris? agellus eat.

Non autem res quælibet obligari possunt: quod enim emptionē non recipit, nec recipit pignorationem. *l. 9. §. 1. ff. hoc tit.* Decimæ quæ sunt iuris Ecclesiastici, pignori dari non possunt. *cap. fin. inf. de decimis.* In libero homine pignoris etiam obligatio non consistit. *cap. 2. hoc tit. l. vlt. ff. quæ res pign. obl. non poss.* Arnulphus ep. 38. ad Episcopū Engolismensem: *Contractus eiusmodi quo liber homo pignori datur, nec de iure tenet, nec bonis conuenit moribus.* Obses tamen dari potest etiam priuata

pactione, vt Monachus ab Abbate. *cap. 9. supr. de iureiur.* Vasa quoque siue vestes Ecclesiæ, & alia quæcunque ad altaris ministerium necessaria, pignori obligare presbyter non potest, *cap.* 1. *hoc tit.* Excipitur causa redimendorum captiuorum, quæ id indulget, *cap.* 94. *lib.* 1. *Capit. Caroli Magni.* Si verò Rector Ecclesiæ rem eius quamlibet obligauerit sui debiti gratia, tenetur eius heres eam luere, & Ecclesiæ restituere, *cap.* 3. Pignoris nomen hoc titulo generale est, tam de rebus mobilibus quàm immobilibus. Caput 5. est de hypothecaria actione quæ mulieri cõpetit propter dotẽ in bonis mariti. Capita 4. 6. 7. sunt de pignoratitia quæ debitori cõpetit, soluto debito, vt res vel possessio pignoris, vel hypothecæ nomine tradita restituatur, insuperhabito pacto legis

commissoriæ. Quod additur (*& aljs cautionibus*,) id est, propter cap. fin. quod est de cautione fructuaria, quam præstare proprietario tenetur is, qui pactione, vel testamento rei cuiuscunque habet vsumfructum.

De Fideiussoribus. Tit. 22.

VT pignora, ita & fideiussores cuicunque obligationi accedunt, in fidem contractus, quo diligentius cautum habeat creditor, *l.* 59. *si mandatu. §. fin. ff. mand.* ideo βεβαιωτὰς dicuntur à Scæuola Iurisconsulto, *in l. pen. §.* 1. *ff. de pign.* Clerici *in cap.* 1. *hoc tit. & can. te quidem.* 11. *q.* 1. prohibentur pro quoquam expromittere, & fidem suam obligare: Idem continetur in Constitutionibus Apostolorum, can. 20. κληρικὸς, ἐγγύας δι δὲς καθ χειρίδων. Eum verò canonem Zonaras

Græcus interpres, ita accipit, vt Clericis quidem non liceat pro publicanis, vel vectigalium redemptoribus fideiubere; pro alijs verò non prohibeantur, maximè si pietatis ratio vrgeat. Ea interpretatio confirmatur N. 128. *cap.* 6. *& libr.* 6. *Capit. Caroli Magni cap.* 122. quibus locis dum vetatur ne Clerici publicarum functionum exactores constituantur, aut vectigalia, vel priuatas possessiones conducant, & in his fidem suam pro alijs obstringãt, satis apertè ostenditur, in alijs negotijs rectè quasi fideiussores intercedere. Item Clerici qui pro alijs fideiussorio nomine se obligauerunt, rectè ad solutionem compelluntur, *cap.* 2 *&* 3. *hoc tit.* quæ ratio facit, vt rectè intercessisse videantur. Religiosi & Monachi omnino sine permissu & licentia Abbatis prohibentur fideiubere. *cap.* 4. Quod ad hoc

pertinet, an Clerici dare fideiuſſores teneantur nomine ſuo, id ita prodijt, vt quemadmodum in hoc ſuccurſum eſt perſonis neceſſarijs, quæ conueniuntur, vt fideiuſſor qualiſcunque ab his oblatus pro idoneo habeatur. *l.* 1. 2. 3. *ff. in ius voc. vt eant, aut ſat. aut caut. dent. l.* 2. §. *Prætor ait. ff. qui ſatiſd. cog.* Ita in Clericis generaliter obtinet, vt in ſtipulatione & contractu quocunque, qualeſcunque ab his dati fideiuſſores pro locupletibus habeãtur, *l.* 25 *cum Clericis. l.* 32. *omnes.* §. *præterea. C. de Epiſc. & Cler.* Quod traditur in cap. vlt. hoc tit. fideiuſſorem contra eum pro quo fideiuſſit agere poſſe ante ſolutionem, ſi aut diu in obligatione ſteterit, aut fideiuſſionis nomine ſit condemnatus, vel bona ſua debitor dilapidare cœperit, id eſt ex *l. Lucius.* 38. *ff. mandati. l fideiuſſor.* 45. *ff. de fideiuſſ. l.* 6. & 10. *C. mandati.*

De Solutionibus.
Tit. 23.

SVperiores tituli ſunt de modis quibus contrahitur obligatio: hoc verò agitur qua ratione diſtrahatur. Tollendæ obligationis naturalis modus eſt ſolutio. Id autem conſtituitur, Prælatum id exſoluere debere, quod prædeceſſor eius in vtilitatem Eccleſiæ ſumpſit mutuò, *capit.* 1. eum item qui indebitum ſe ſoluiſſe dicit, docere debere fidem aſſertioni ſuæ conſtare, niſi qui ſolutum inficiabatur, pecuniam accepiſſe poſtea conuictus ſit, *cap. vlt. ex l.* 25. *cùm de indebito. ff. de probat.* Tertiò id cauetur, inopia laborantem Clericum ad hoc tantùm teneri, vt ſe ſoluturum caueat, cùm ad pinguiorem fortunam deuenerit, *cap. pen.* Demum, Eccleſiam non teneri mu-

Digitized by Google

tui nomine, quod in rem eius verſum non eſt, *cap.* 2.

De Donationibus. Tit. 24.

ENumeratis quibuſdam conuentionum generibus, ſupererat illud, vt modos acquirendi qui magis principales ſunt, breuiter Gregorius Pontifex perſtringeret: ideo accedit ad donationes, teſtamenta, & ſucceſſiones ab inteſtato, per quas vt plurimum quæruntur rerum dominia. Donatio origine ipſa iuris gentium eſt, & traditione ſola eam perfici obtinuit, niſi in coniunctas perſonas fuiſſet collata. *l.* 4. §. 7. *C. Th. hoc titul.* Poſtea ex conſtitutione Iuſtiniani, magis in contractus ſpeciem tranſijt, cùm ſolo pacto perficiatur & ex ea actionem habeat donatarius, vt traditionis neceſſitas incumbat donatori. *l. ſi quis.* 35.

§. *fin. C. eod. tit.* Pendet verò ex mera donantis liberalitate; donare enim cogi nemo potest: & id simpliciter donari videtur, quod nulla cogente iuris necessitate conceditur, *l. munus.* 213. §. 1. *ff. de verb. sign. l. donari.* 83. *ff. de reg. iu.* Hinc est, quòd donatio remuneratoria non continetur meræ donationis regulis, quia beneficij potius compẽsatio est, quàm donatio: ideóque eam insinuatione non indigere auctor est grauissimus doctor Cuiac. *lib.* 17. *cap.* 33. *& lib.* 27. *obs. cap. vlt.* Arnulphus epist. ad Laurentinm Abbatem: *Quod bene merenti rependitur, illustrari donationis nomine non meretur.* In hanc sententiam potest accipi locus ille D. Pauli *ad Rom. cap.* 4. τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα: & ita Prælati res ad Ecclesiam suam perti-

nentes in *ἀνάδοχος* concedere possunt. *can. quicumque suffragio. 12. qu. 2.* Donatio quæ simplex est, definitur liberalitas & munificentia quam quis erga alium acceptãtem spontaneo arbitrio, & benignæ volũtatis inductione libera exercet. Tum demum autẽ valet, si res quæ donatur sit donantis, & possit de iure donare. *cap. 5. infr. de iu. patron.* Episcopus vel Abbas, vel quilibet Ecclesiæ prælatus, aut œconomus, res eius dare non possunt; præterquam ex causa superiori, quia dispensatores sunt, non domini. *cap. 2. & 3. hoc tit. l. iubemus. 14. C. de sacr. Eccl.* His diligenter rem Ecclesiæ genere commissum est, non alienare, non donare. Ita filiofam qui liberam habet peculij administrationem, donare nõ permittitur. *l. 7. ff. hoc tit.* Licet tamen Episcopo quinquagesimã partem reditus Ecclesiæ suæ se-

ponere ad dotem constituēdam monasterio quod exstruxit : ita tamen vt licere desinat si inde graue dispendium Ecclesia patiatur. *can. bonæ. 12. qu. 2. cap. pen. hoc tit.* Ita quamuis in donationibus & beneficijs quibuslibet latior interpretatio admittatur. *ca. 6. & 7. hoc tit.* eo tamen casu ad arctiores terminos donandi potestas restringitur.

De Peculio Clericorum.
Tit. 25.

QVia inter viuos, siue testamento largiri cuique tantùm licet quod suum est; ideo inter titulum præcedentem de donationibus, & illum qui sequitur de testamentis, medius hic constitit, quo agitur de peculio Clericorum : vt pareat quibus de rebus plenam habeāt disponendi facultatem. Σημασιακῶς

verò de peculio Clericorum inſcriptus eſt hic titulus: adiectum non eſt (& Monachorum,) quia monachis non indulgetur, vt peculium habeãt, vt docet tit. de ſtatu mon. inf. In ipſis Eccleſiæ natalibus, Chriſtiani omnes nihil ſibi proprium habebant, ſed res ſuas omnes in commune conferebant, vt continetur in actis Apoſtol. *capit.* 4. Poſtea rerum ea communio viguit tantùm apud clericos, vt conſtat ex can. 2. dilectiſſimis, & can. ſcimus. 12. q. 1. & cap. 9. ſup. de vita & hon. cler. Mox monachi, cùm propria patrimonia clerici habere cœpiſſent, priſcam illam retinuerunt bonorum omnium ſocietatem: νῦν ὃ ἡ μόλις κοινοχρησίας ταύτης αὐτοὶ οἱ μοναζοντες αὐτέχονται. Peculij nomen hîc non ea ratione ſumitur, qua ferè in toto iure ciuili, pro naturali patrimonio,

quod habent filijfam. vel ſerui, qui in patris vel domini poteſtate conſiſtunt: ſed id ſignificat, quod clericus liber & ſui iuris ſibi habet ſeparatum à rationibus Eccleſiæ : quemadmodum παράφερνα ſiue pecuniam receptitiam, quam dote marito data mulier ſibi retinebat, neque ad virum tranſmittebat, peculium dixere veteres Galli, vt Vlpianus auctor eſt *in l. ſi ego. §. 3. ff. de iure dot.* quo nomine in eadem ſignificatione vſus eſt quoque Papinianus *in l.* 31. §. 1. *ff. de donat.* Ita pecunia quam præſidij cauſa paterfam. ſeponit, qua belli neceſſitate ingruente vtatur, peculium dicitur, *l.* 79. *ſi chorus.* §. 1. *ff. de legit.* 3. & generaliter patrimonium omne ἰδιωτικῶς peculium dici poteſt. *l.* 16. *in pr. ff. ad Trebell.* & peculium dicitur puſilla pecunia, ſiue puſillum patrimo-

trimonium. *l. 5. §. pen. ff. de peculio.* quo ſenſu etiam, vocabulum illud accipitur *in l. 4. C. Th. de veteranis.* Id autem peculio clericorum tãtùm adſcribitur, quod ante ordinationem eos habuiſſe conſtat: qui enim eo tempore, quo Eccleſiæ admotus fuit, nihil patrimonij habuit, ſi poſtea quid acquirat, κτ' ἐπίλημψιν ex bonis Eccleſiæ quæſiuiſſe exiſtimatur, *cap. 1. hoc tit.* Aliter iure ciuili: Tutor enim qui pauper acceſſit ad tutelam, ſi interim augeatur facultatibus, non ideo præſumitur locupletatus ex bonis pupilli, vt magis tutelæ rationibus obſtrictus ſit. *l. 10. C. arb. tut.* Quæ diuerſitatis ratio? Illa nimirum: quòd cùm genus omne negotiationis clericis ſit interdictum, vt impenſiùs diuinis rebus dent operam (vt docet titulus vlt. huius libri) turpis quæſtus eui-

Græcus interpres, ita accipit, vt Clericis quidem non liceat pro publicanis, vel vectigalium redemptoribus fideiubere; pro alijs verò non prohibeantur, maximè si pietatis ratio vrgeat. Ea interpretatio confirmatur *N.* 128. *cap.* 6. *& libr.* 6. *Capit. Caroli Magni cap.* 122. quibus locis dum vetatur ne Clerici publicarum functionum exactores constituantur, aut vectigalia, vel priuatas possessiones conducant, & in his fidem suam pro alijs obstringãt, satis apertè ostenditur, in alijs negotijs rectè quasi fideiussores intercedere. Item Clerici qui pro alijs fideiussorio nomine se obligauerunt, rectè ad solutionem compelluntur, *cap.* 2 *&* 3. *hoc tit.* quæ ratio facit, vt rectè intercessisse videantur. Religiosi & Monachi omnino sine permissu & licentia Abbatis prohibentur fideiubere. *cap.* 4. Quod ad hoc

pertinet, an Clerici dare fideiuſſores teneantur nomine ſuo, id ita prodijt, vt quemadmodum in hoc ſuccurſum eſt perſonis neceſſarijs, quæ conueniuntur, vt fideiuſſor qualiſcunque ab his oblatus pro idoneo habeatur. *l.* 1. 2. 3. *ff. in ius voc. vt eant, aut ſat. aut caut. dent. l.* 2. §. *Prætor ait. ff. qui ſatiſd. cog.* Ita in Clericis generaliter obtinet, vt in ſtipulatione & contractu quocunque, qualeſcunque ab his dati fideiuſſores pro locupletibus habeãtur, *l.* 25 *cum Clericis. l.* 32. *omnes.* §. *præterea. C. de Epiſc. & Cler.* Quod traditur in cap. vlt. hoc tit. fideiuſſorem contra eum pro quo fideiuſſit agere poſſe ante ſolutionem, ſi aut diu in obligatione ſteterit, aut fideiuſſionis nomine ſit condemnatus, vel bona ſua debitor dilapidare cœperit, id eſt ex *l. Lucius.* 38. *ff. mandati. l fideiuſſor.* 45. *ff. de fideiuſſ. l.* 6. *&* 10. *C. mandati.*

De Solutionibus.
Tit. 23.

SVperiores tituli sunt de modis quibus contrahitur obligatio: hoc verò agitur qua ratione distrahatur. Tollendæ obligationis naturalis modus est solutio. Id autem constituitur, Prælatum id exsoluere debere, quod prædecessor eius in vtilitatem Ecclesiæ sumpsit mutuò, *capit.* 1. eum item qui indebitum se soluisse dicit, docere debere fidem assertioni suæ constare, nisi qui solutum inficiabatur, pecuniam accepisse postea conuictus sit, *cap. vlt. ex l.* 25. *cùm de indebito. ff. de probat.* Tertiò id cauetur, inopia laborantem Clericum ad hoc tantùm teneri, vt se soluturum caueat, cùm ad pinguiorem fortunam deuenerit, *cap. pen.* Demum, Ecclesiam non teneri mu-

tui nomine, quod in rem eius verſum non eſt, *cap.* 2.

De Donationibus. Tit. 24.

ENumeratis quibuſdam conuentionum generibus, ſupererat illud, vt modos acquirendi qui magis principales ſunt, breuiter Gregorius Pontifex perſtringeret: ideo accedit ad donationes, teſtamenta, & ſucceſſiones ab inteſtato, per quas vt plurimum quæruntur rerum dominia. Donatio origine ipſa iuris gentium eſt, & traditione ſola eam perfici obtinuit, niſi in coniunctas perſonas fuiſſet collata. *l.* 4. §. 7. *C. Th. hoc titul.* Poſtea ex conſtitutione Iuſtiniani, magis in contractus ſpeciem tranſijt, cùm ſolo pacto perficiatur & ex ea actionem habeat donatarius, vt traditionis neceſſitas incumbat donatori. *l. ſi quis.* 35.

§. *fin. C. eod. tit.* Pendet verò ex mera donantis liberalitate; donare enim cogi nemo poteſt: & id ſimpliciter donari videtur, quod nulla cogente iuris neceſſitate conceditur, *l. munus.* 213. §. 1. *ff. de verb. ſign. l. donari.* 83. *ff. de reg. iu.* Hinc eſt, quòd donatio remuneratoria non continetur meræ donationis regulis, quia beneficij potius compẽſatio eſt, quàm donatio: ideóque eam inſinuatione non indigere auctor eſt grauiſſimus doctor Cuiac. *lib.* 17. *cap.* 33. *& lib.* 27. *obſ. cap. vlt.* Arnulphus epiſt. ad Laurentinm Abbatem: *Quod bene merenti rependitur, illuſtrari donationis nomine non meretur.* In hanc ſententiam poteſt accipi locus ille D. Pauli *ad Rom. cap.* 4. τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα: & ita Prælati res ad Eccleſiam ſuam perti-

nentes in *αὐπιδωρεα* concedere poſſunt. *can. quicumque ſuffragio.* 12. *qu.* 2. Donatio quæ ſimplex eſt, definitur liberalitas & munificentia quam quis erga alium acceptãtem ſpontaneo arbitrio, & benignæ volũtatis inductione libera exercet. Tum demum autẽ valet, ſi res quæ donatur ſit donantis, & poſſit de iure donare. *cap. 5. infr. de iu. patron.* Epiſcopus vel Abbas, vel quilibet Eccleſiæ prælatus, aut œconomus, res eius dare non poſſunt; præterquam ex cauſa ſuperiori, quia diſpenſatores ſunt, non domini. *cap.* 2. *&* 3. *hoc tit. l. iubemus.* 14. *C. de ſacr. Eccl.* His diligenter rem Eccleſiæ genere commiſſum eſt, non alienare, non donare. Ita filiofam qui liberam habet peculij adminiſtrationem, donare nõ permittitur. *l.* 7. *ff. hoc tit.* Licet tamen Epiſcopo quinquageſimã partem reditus Eccleſiæ ſuæ ſe-

ponere ad dotem constituẽdam monasterio quod exstruxit : ita tamen vt licere desinat si inde graue dispendium Ecclesia patiatur. *can. bonæ. 12. qu. 2. cap. pen. hoc tit.* Ita quamuis in donationibus & beneficijs quibuslibet latior interpretatio admittatur. *cap. 6. & 7. hoc tit.* eo tamen casu ad arctiores terminos donandi potestas restringitur.

De Peculio Clericorum.
Tit. 25.

QVia inter viuos, siue testamento largiri cuique tantùm licet quod suum est; ideo inter titulum præcedentem de donationibus, & illum qui sequitur de testamentis, medius hic constitit, quo agitur de peculio Clericorum : vt pareat quibus de rebus plenam habeãt disponendi facultatem. Σημαυλικῶς

verò de peculio Clericorum inſcriptus eſt hic titulus: adiectum non eſt (& Monachorum,) quia monachis non indulgetur, vt peculium habeãt, vt docet tit. de ſtatu mon. inf. In ipſis Eccleſiæ natalibus, Chriſtiani omnes nihil ſibi proprium habebant, ſed res ſuas omnes in commune conferebant, vt continetur in actis Apoſtol. *capit.* 4. Poſtea rerum ea communio viguit tantùm apud clericos, vt conſtat ex can. 2. dilectiſſimis, & can. ſcimus. 12. q. 1. & cap. 9. ſup. de vita & hon. cler. Mox monachi, cùm propria patrimonia clerici habere cœpiſſent, priſcam illam retinuerunt bonorum omnium ſocietatem: νῦν ὃ ἡ μόλις κοινοχρησίας ταύτης αὐτοὶ οἱ μοναζοντες αὐτέχοιται. Peculij nomen hîc non ea ratione ſumitur, qua ferè in toto iure ciuili, pro naturali patrimonio,

trimonium. *l. 5. §. pen. ff. de peculio.* quo ſenſu etiam, vocabulum illud accipitur *in l. 4. C. Th. de veteranis.* Id autem peculio clericorum tãtùm adſcribitur, quod ante ordinationem eos habuiſſe conſtat: qui enim eo tempore, quo Eccleſiæ admotus fuit, nihil patrimonij habuit, ſi poſtea quid acquirat, κτῆ πρόληψιν ex bonis Eccleſiæ quæſiuiſſe exiſtimatur, *cap. 1. hoc tit.* Aliter iure ciuili: Tutor enim qui pauper acceſſit ad tutelam, ſi interim augeatur facultatibus, non ideo præſumitur locupletatus ex bonis pupilli, vt magis tutelæ rationibus obſtrictus ſit. *l. 10. C. arb. tut.* Quæ diuerſitatis ratio? Illa nimirum: quòd cùm genus omne negotiationis clericis ſit interdictum, vt impenſiùs diuinis rebus dent operam (vt docet titulus vlt. huius libri) turpis quæſtus eui-

Digitized by Google

uitandi, & ſummouendæ ſuſpicionis gratia, inductum eſt, vt cùm dubia fides eſſet, potius ex facultatibus Eccleſiæ patrimonio aucti crederẽtur, quàm aliunde. *arg. l. 51. Quintus Mucius. ff. de donat. inter vi. & vx. & l. 6. C. eod. tit.* Omnia itaque, quæ poſt conſecrationem ſuam Epiſcopus, aut preſbyter acquiſierit, ea cedunt in ius Eccleſiæ. *cap. 2. 3. & fin.* idque ita, quamuis contractus alterius nomẽ præferat, *cap. pen.* Hac ratione, vt ſeparata bona eſſent clericorum & Eccleſiæ, obtinuit, vt qui ad ſacerdotium vel epiſcopatum accederet, rerũ ſuarum faceret repertoriũ ſiue *αναφορὰν*. *can. de Syracuſanæ. 28. diſt.* Idem priùs conſtitutum fuerat *can. 40. Apoſtolorum.*

De teſtamentis & vltimis voluntatibus. Tit. 26.

TEſtandi facultas originem habet à iure gentium, vnde & Theoph. *tit. de iu. nat. gent. & ciu. §. 1. apud Iuſtin.* dum enumerat ea quæ principaliter iure illo inducta fuere, recenſet teſtamenti factionem, τὸ πᾶς δίκαιος συγγράφεσθαι. Quantum tamen ad ordinanda teſtamenta, propter ſolemnitates, quibus parêre eum qui teſtatur neceſſe eſt, omnimodo iuris ciuilis eſt commentum. Hodie magis ex vſu eſt, ex præſcripto huius iuris teſtamenta valere, quæ coram plebano, & duobus teſtibus fide dignis facta ſunt, *cap. 10. & 11. hoc tit.* & id etiam multis locis mores Galliæ admittunt. Omnibus teſtamenti factio libera non per-

mittitur. Non item qui liberam habent, de rebus quibuſcumque teſtari poſſunt. Monachi, vel moniales, & qui his præſunt Abbates aut Abbatiſſæ, liberè ſuprema ſua ordinare non poſſunt. *cap.* 2. Potuere olim, vt conſtat ex *l. generali. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. & l. vv. Cod. Th. de bon. cler. & mon.* Verùm ex N. Iuſtin. 5. & 76. ante monachiſmum teſtamentum quidem facere poſſunt, poſtea non item. Idem continetur *can.* 6. *ſynodi in Trullo* : quod & relatum ab Harmenopulo *libr.* 5. his verbis: ὁ μοναζων βουλόμενος, περὶ τῆς ἑαυτοῦ προϊόντως διατιθέσθω. Epiſcopi vel preſbyteri omnimodo teſtari poſſunt ; verùm de his tantùm quæ ante ſacerdotium habuerunt, aut poſtea ex donationibus propinquorum acquiſierunt ; cetera quæcumque

dum ſunt in officio Eccleſiæ eis acceſſerunt, integra & illibata ad eandem tranſmittere tenentur. *cap.* 1. 7. 9. 12. Idem conſtitutum eſt *l.* 41. πᾶσαν. *Cod. de Epiſcop. & cler. & N.* 131. *capit.* 13. Magis tamen & nunc hodie obſeruatur *l. ſacroſanctæ. Cod. eod. tit.* qua clericis permittitur de rebus ſuis liberè ſtatuere, non adhibita diſtinctione vnde eas parauerint ſibi. Quemadmodum verò olim ad curam Pontifi-cum pertinuit compellere he-redes ad obſequium vltimæ vo-luntatis, circa ea quæ intuitu re-ligionis imperata fuiſſent, *l.* 50. *hereditas. in fi. ff. de pet. her.* ita hoc iure ſollicitè debet prouidere Epiſcopus, vt ea quæ te-ſtamento relicta ſunt cauſa pie-tatis, quàm citiſſimè repræſen-tentur. *cap.* 3. 6. 17. *pen.* quod & Iuſtinianus conſtituerat *l. fin. C.*

de ſacroſ. Eccl. & l. 46. De epiſc. & cler. C. de epiſc. & cler. Ad eum etiam pertinet Canonica portio ex his quæ Eccleſiæ relinquuntur. Ea modò tertia eſt, modò quarta, pro cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine, *cap.* 14. & 15.

De Succeſſionibus ab inteſtato. Tit. 27.

TItulus hic eſt de ſucceſſionibus Clericorum, qui nulla teſtatione mentis ſuæ relicta, diem ſuum obierunt, vt eorum bona ad Eccleſiam, in qua miniſterium ſuum exſecuti ſunt, pertineant. Addendũ eſt, *ex l. vn. C. Theod. de bo. cler. & N. Iuſt.* 131. *cap.* 13. *in fine*, ſi parentes & cognatos ſuperſtites non habuerint, & ita de Epiſcopo qui inteſtato defunctus eſt cauetur, *cap.* 17. *addit.* 3. *ad Capit. Caroli magni.* quod idem eſt in alio quocũque

clerico. *can. quicumque. 12. qu. 3. & can. fin. qu. 5.* Fruſtra de monachorum ſucceſſione hîc ageretur, cùm nec ipſi ſuccedant, nec ipſis ſuccedatur. niſi quòd peculium eorum, ſi quod reliquerint, ad Abbatem vel monaſteriũ deuoluatur, provt cœnobij fert conſuetudo; ſæpius verò ad Abbatem: habuere tamen olim & Clerici ius mutuæ ſucceſſionis, *l. ſi quis presbyter. 20. l. Deo nobis. 55. §. 1. C. de epiſc. & cler.*

De Sepulturis. Tit. 28.

QVia memoria conditionis humanę mortui corpus ſepulturæ tradendum eſt, *l. pen. ff. de condit. inſtit.* & de ea homines plerumque teſtamento, & in ſupremis cauent: ideo titulus hic proponitur poſt ſuperiores. Vnicuique liberum eſt ſepulturæ locum ſibi eligere: & id ita tamen

admiserunt canones, vt ex his quæ relicta sunt Ecclesiæ vel monasterio, in quo quis sepeliri se voluit, pars aliqua tribuatur Parochiæ, in qua qui fato functus est, solitus erat percipere ecclesiastica Sacramenta, *cap.* 1. & 4. Ea est tertia vel quarta pro cuiusque regionis more, *cap.* 8. & 9. Si quis autem aut alio loco sepultus sit, quàm mandauit, aut cùm de sepultura nihil statuit, alibi quàm in Ecclesia, in qua lares suos habuit, dum in viuis ageret; potest inde corpus erui, & ad Ecclesiam transferri, in qua sepulturam sibi elegit. Coguntur etiam hi, qui secus facere præsumpserunt, omnia quæcunque funerum occasione quæsierunt restituere, *cap.* 5. 6. 10. Id ratio voluntatis expressit, vt sepulchri locum alium non sortiretur qui decessit, quàm quem nominatim, aut tacito mentis arbitrio sibi destinauit;

alĩàs perpetuæ ſepulturæ tradita ſemel corpora nõ licet aliò tranſferre, quaſi illud ſit quietem defunctorum turbare. Phocylides:

μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς,
μηδ' ἀϑέατα
λείξῃς ἠελίῳ, ϗ δαιμόνιον χόλον
ὄρσῃς.

Ideo in hanc rem, ſi qua cauſa neceſſaria vrgeret, opus fuit Pontificum auctoritate, aut Imperatorum, qui & ipſi Põtifices fuere. *l.* 8. *ff. de relig. & ſumpt. fun. l.* 1. *& pen. C. eod.* idque Plinius tradit etiam perſpicuè, *libr.* 10. *ep.* 73. quæ eſt ad Traianum Principem. Ea cura comiti rerum priuatarum poſtea demandata fuit, vt conſtat ex Caſſiodori formula 8. *libr.* 6. *var.*

De Parochijs & alienis Parochianis. Tit. 29.

PErtinet hic titulus ad circunſcribẽdam cuiuſque Epiſcopi, vel preſbyteri iuriſdictionem; ne extra Eccleſiam ſuam aliquid ſibi vindicẽt. Deuteronomij *cap.* 19. ita cautum eſt: ὃ μεταιθήσεις ὅρια τῦ πλησίον σῦ, ἃ ἔστησαν οἱ πατέρες σῦ ἐν τῇ κληρονομίᾳ σῦ. quò pertinet illud Phocylidis:

ἀλλῦ χθονέοντος ἀπόσχεο, μηδ' ἀπὸ μοίρης.

Ea ratione Parochiæ & diœceſes ſuis finibus & terminis diſtinctæ ſunt. *can. Eccleſias* 13. *qu.* 1. *cap. pen. ſup. de his, quæ fi. à præl. ſine conſ. cap.* Quiſque igitur preſbyterorum intra ſepta ſua ſe continere debet, nec quicquam ex alieno vſurpare, aut aliquem in ſua Eccleſia admittere, qui ad eos non

pertineat, *cap.* 2. 3. 4. *hoc tit. cap.* 12. *inf. de pœnit. & remiſſ.* In hanc ſententiam rectè Iuſtin. in l. conſulta. C. de teſtam. *Promiſcuis actibus rerum turbantur officia, ſi quod uni creditum eſt, alter ſubtrahat.* Ita iudicibus extrà territorium ſuum ius dicere non licet, *l. fin. ff. de iuriſd. om. iud.* ne quidem ex interdicto, vt ait *l.* 3. *C. de interd.* Non item licet eius rei notionem præripere, quæ alterius examini, & iuriſdictioni eſt demandata. *l. fin. C. de offic. com. ſacri pal.* Excommunicatio etiam eos non obſtringit, qui excommunicantis iuriſdictioni non ſubſunt. *cap.* 21. *infr. de ſent. excom. cap. vlt. de conſtit. in* 6. Eodem illud pertinet, vt iura debita eo loci Parochiani exſoluant, quò commigrarunt, non quo anteà domicilium habuerunt *cap. fin. hoc tit.* Nomen Parochiæ hîc non tantùm pro quolibet vi-

ciniæ conuentu, qui vni plebano ſubiectus eſt, accipitur, ſed etiam pro integra diœceſi, vt & in can. bonæ. 12. *quæſt.* 2. *& libr.* 5. *capit. Caroli Magni, capit.* 182. Ita Græcis παροικίας vocabulum generale eſt, vt liquet ex canonibus Apoſtolorum, *can.* 14. 15. 34.

De decimis, primitijs & oblationibus. Tit. 30.

IVs decimarum à iure ipſo naturali originem ſumpſit. Abraham enim decimam prædæ & manubiorum dedit ſacerdoti Melchiſedec, vt continetur *Geneſis cap.* 14. Sic Iacob *capit.* 28. *ibidem*, decimam bonorum omnium ſe Deo præſtiturum pollicetur, παντων ὧν ἐαν μοι δῶς δεκάτὼν ἀποδεκατώτω αὐτά σοι. Poſtea lege Moſis id cautum

fuit, nominatim *Leuit. capit. vlt.* πᾶσα δεκάτη τῆς γῆς, ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῆς γῆς, καὶ ἀπὸ καρποῦ τοῦ ξυλίνου τῷ κυρίῳ ἐστὶν ἅγιον. Idem continetur etiam *Numer. cap.* 18. & *Deuteron. cap.* 14. Hinc est quòd à Deo institutæ dicuntur, & debitæ quasi in recognitionem generalis dominij. *cap.* 14. 26. 32. §. *fin. & cap.* 33. *hoc tit.* Eadem ratione primitiæ & oblationes iure diuino olim debebantur: de his enim ita constitutum est, *Exodi cap.* 12. ἀπαρχὰς ἁλῶνος καὶ ληνοῦ σου ἀποδιστερήσεις. Eas tamen magis ex offerentium arbitrio, quam iuris aliqua necessitate præstitas, ait D. Hieronym. *in capit.* 1. *hoc titul.* Plin. *libr.* 18. *capit.* 2. priscos Romanos ait, non priùs nouas fruges, aut vina degustare solitos, quàm sacerdotes primitias libassent. Idem *libr.* 12. *capit.* 14.

& 19. autor eſt Arabes & Ægyptios ex thure & cinnamomo decimas dijs ſuis conſecraſſe. Moris etiam fuit apud ipſos Romanos partem decimam bonorum ſuorum vouere, vt conſtat ex l. 2. §. *vlt. ff. de pollicit.* & ea plerũque Herculi dicabatur, quemadmodum tradit Plut. *in quæſt. Ro.* Id verò vt potiſſimùm fiebat à victoribus ex manubijs hoſtiũ. Iuſtinus libr. 18. *Decima prædæ Herculi dicata.* Xenophon libr. ζ. ἀναβάσεως, de Græcis redeuntibus ab expeditione Perſica: ἐπῆσθαι δὲ λαμβάνοντι τὸ δὲ τῷ αἰχμαλώτων ἡμόλιον ἀργύριον, καὶ τὸ δεκάτιον ἰὼ τῷ Ἀπόλλωνι ἐξέλον καὶ τῇ Ἐφεσίᾳ Ἀρτέμιδι, διέλαβον οἱ ἑρατηῖοι, τὸ μέρος ἕκαστος φυλάττειν τοῖς θεοῖς. Idem lib. 4. ἑλληνικῶν de Ageſilao victore: δεκάτιον τῷ ἐκ τῆς λείας τῷ θεῷ ἀπέδωσεν. Hinc δεκατεύειν

apud Harpocrationem & reliquos autores, eiuſmodi decimas vouere & perſoluere. Vt non liceat diutius ἐκτὸς χρόνου ὀρχεῖας, ex hoc titulo ea ſummatim elici poſſunt: decimas ex reditibus & obuentionibus quibuſlibet, ſiue ex fructibus naturalibus, ſiue ciuilibus deberi, *cap.* 5. 6. 23. Item impenſas nullas deduci, ſed ſtatim atque fructus collecti, & à ſolo ſeparati, ex his decimas eſſe perſoluendas, *cap.* 7. 22. 26. 28. 33. Sunt autem in duplici genere: quædam enim magis ratione rei debentur quàm perſonæ: & ideo prout quodque prædium in aliqua diœceſi, aut parochia ſitum eſt, ita ex eo loci preſbytero decimæ ſunt ſoluendæ, quamuis prædij dominus in alia parochia commoretur, *cap.* 18. At quæ debentur ratione lucri, & negotiationis, vel ex quolibet quæſtu

honeſto & comprobato, eæ perſonales ſunt, & eo loci præſtari debent, quo qui his obſtrictus eſt, domicilium habet, *cap.* 20. Rurſus quidã ſunt, qui regulariter quidem ſoluunt decimas; ex noualibus tamen nihil præſtant: quod monachis & religioſis plerumque beneficij loco conceditur à ſummo Pontifice. *capit.* 10. Noualia, quantum ad hanc rem pertinet, ſunt nouelleta ſiue vineta recenter inſtituta ex agris, qui inculti fuerant ſemper, quíque nullum ſui fructum præbuerant, *cap.* 1. *&* 21. *infr. de verb. ſignif.* Inde etiam, ex quo conſtat ea aliquando inculta fuiſſe, ſemper noualia dicuntur, *cap. fin. inf. de priuileg.* Interdum monachi id habent, ne ex agris quos proprijs manibus excolunt, decimas ſoluere teneantur. Id verò non extenditur ad prædia aliena,

aliena, quæ ipſi conducunt: ex his enim decimas ſoluere compelluntur. *cap.* 8. & ita cùm ipſi poſſeſſiones ſuas locant, qui eas cõduxerunt, æquè decimas præſtare iubentur. *cap.* 11. 32. Laici neque ſe eximere à præſtatione decimarum, neque vllo modo poſſunt in eos transferri, *cap.* 15. 17. 19. ita vt nec pro Clerici debito poſſint eis aſſignari, *cap.* 3. §. *de arb.* Poſſunt eæ tantùm ab his retineri, quæ in feudum olim, ſiue in beneficium conceſſæ ſunt: quod quaſi conniuentibus oculis admittit Innocentius III. *in cap.* 25. §. *fin. hoc tit. & cap.* 7. *in fin.* §. *de his quæ fi. à Præl. ſine conſ. cap.* Eiuſmodi ſunt in Francia multæ, quæ in commercio ſunt, & in ius proprietatémque laicorum tranſierunt.

De Regularibus & transeuntibus ad religionem. Tit. 31.

REgularis dicitur, qui certo voto se adstrīnxit, & monasterij cuiuslibet regulæ se subiecit: qua ratione cœpit Canonicorum esse aliqua distinctio, vt quidam canonici sæculares, quidam canonici regulares dicantur. Olim canonici omnes regulares dicebantur, vt etiam nominis ratio expoſcit. Clerici quoque omnes canonici erant, quia viuebant sub regula. Est autem titulus hic de Regularibus & transeuntibus ad religionem, id est, quo iure quisque legibus monasterij obstringatur, & votum emittere debeat. Id primùm cauetur, ne quis aliter quàm spontanea voluntate, aut qui ætatis debitæ sit, in monasterio suscipiatur. *cap.* 1. & 2. Ætas legitima definitur an-

norum quatuordecim in maſculis, & duodecim in fœminis, *cap.* 8. *&* 11. vel ſi ſtricta admodum ſit regula, annorum octodecim ætas requiritur. *cap.* 6. Conſultiùs leges Franciæ hac in re, in maſculis 25. in fœminis 20. annorum ætatem deſiderant, vetántque ne profeſſio vlla quemquam obſtringat, ſi ante eam ætatem ſit emiſſa; ita vt ea in ſuper habita, à monaſterio recedere liceat, & legitimas hereditates adire, quemadmodum continetur conſtitutione lata in comitijs Aurelianenſibus. Tempus tamen illud ad ſexdecim annos, ſiue in maſculo, ſiue in fœmina, poſterior conſtitutio Blœſenſis coarctauit. Maiorianus Imp. *N. de ſanctimonialibus & viduis*, vetat ne parentes, filias in annis minoribus conſtitutas neceſſitati continuæ virginitatis addicant, néve virgines quædam honorato capitis vela-

mine ſuſcepto antè conſecren-tur, quàm quadraginta annos fuerint emenſæ. Idem Concilio Carthaginenſi cautum eſt, *can. ſanctimoniales. 20. qu. 1.* Poſtea Concilio Africano huic rei præ-ſtituta eſt ætas annorum 25. *can. placuit. ead. cauſa & qu. can. placuit.* 77. *diſt.* quod & relatum eſt *lib.* 1. *Capitularium Caroli magni*, *cap.* 107. Antiqui canones id exege-runt, vt profeſſio in ſcriptis fieret, *can.* I. 17. *q.* 1 *can. vlt.* 20. *qu.* 1. *can. omnes fœminæ*, 27. *qu.* 1. Id etiam conſtitutio Molinæis lata requi-rit, neque teſtibus eius fidem fie-ri patitur. At his libris tacita pro-feſſio admittitur. *cap.* 43. *de elect. in* 6. *cap.* 22. *hoc tit.* Antequam autem qui vitæ monaſticæ propoſitum elegit, votum ſolenniter emittat; indulgetur annus probationis; intra quem experiatur, & ſollici-tè exploret nouus tiro, an fe-rendis monaſterij laboribus ſuffi-

cere poſſit, *cap.* 16. Id rectè; nam vt ait Heliodorus *lib.* 9. *hiſt. Æth.* Τὰ μεγάλα τῶν πραγμάτων, μεγάλων δεῖται καταστάσεων. Facilis etiam vitæ mutatio non eſt, ſed cum animæ fit labore, vt ait Iuſtin. N. 5. *cap.* 2. & N. 123 *cap.* 33. ideóque eo loci, idem Iuſtinianus triēnij ſpatium præſtituerat probandis eius moribus, qui monachus fieri deſideraret. quod & aliquando canonibus eccleſiæ comprobatum fuit, cùm ij ad monaſterium accederent, qui minùs noti eſſent. *can.* 1. 53. *diſt.* *can. fin.* 17. *qu.* 2. Intra tempus probationis liberum eſt à monaſterio recedere, *niſi* ea mente quis ſe obtulerit, vt ne liceret ſibi mutare ſententiam, *cap.* 9 20. 23. Cùm vero id temporis elapſum eſt, & in ætate legitima votū eſt emiſſum, deſinit omnino licere alium vitæ modum arripere. *cap.* 4. *et* 12. Ita neceſſitati tum demum pa-

rendum eſt, quæ humanæ imbecillitatis efficaciſſimum duramentum eſt, vt ait Valer. Max. In hanc ſententiam rectè Arrianus *lib. 3. de dictis Epicteti*, ὅτι ἀποκνητέον τὸν ἀγῶνα τὸν μέγιστον ἀγωνιζομένοις, ἀλλὰ καὶ πληγὰς λιπτέον.

De Conuerſione coniugatorum. Tit. 32.

IVre ciuili licet vni ex coniugibus etiam inuito altero religionis gratia diuertere: diuortiúmque illud bona gratia fieri dicitur, & omnibus pœnis immune & ſolutum eſt, *l. 52.* καταζόμενον *§. fin. C. de Epiſ. & cl. N. 22. cap. 5. N. 117. cap. 12. N. 123. cap. 40.* Id non æquè probauit Eccleſia, aut ius canonicum, *can. lege. 10. diſt. can. ſunt qui dicunt. can. Agathoſa. 27. qu. 2.* Viro itaque ſine conſenſu vxoris, aut vxori ſine viri con-

ſenſu, monaſterium ingredi non licet. *can. Epiſcopus. 77. diſt. cap. pen. j. de raptor.* neque ex coniugatis quiſquam recipiendus aliter eſt, quàm ſi alter quoque ad religionem tranſeat, aut eius ætatis ſit, vt ſine turpi ſuſpicione poſſit remanere in ſæculo, *cap. 4. 5. 6. 8. 12. 18. hoc tit.* Aliàs licèt viro ad monaſticã vitam properanti conſenſerit mulier, ſi perpetuæ caſtitatis votum ipſa non emiſit, vir etiam à monaſterio abducendus eſt, & ei reſtituendus: niſi poſt eius diſceſſum honeſtè & pudicè vitam non inſtituerit, *cap. 1. 15. 16. 17.* Qui verò monaſterium inuita vxore ingreſſus eſt, & ea poſtmodum illum repetente redijt; ſi eadem poſtea moriatur, vxorem aliam ducere non poteſt propter animi deſtinationem, qua conſtat in eo propoſito fuiſſe, vt quantum in ipſo eſſet, ſpem nuptiarum omnem, & matrimonij

fœdus à ſe amoliretur. *cap.* 3. 9. 12. Vt autem non liceat vel viro vel vxori, ſine conſenſu alterius ad monaſterium tranſire; id tum demum obtinet, cùm interceſſit corporum commixtio: Aliâs licèt matrimonium contractum fuerit per verba de præſenti, tamen hinc inde conditioni renunciare licet, & caſtitatis propoſitum ſuſcipere. *cap.* 2. 7. 14. Ita conſtitutum eſt, *l.* 55. *Deo nobis. C. de Epiſc. & Cler.* vt ſi poſt datas, vel receptas arras ſponſalitias, ſponſus vel ſponſa ſæcularem vitam contempſerit, & cultui ſe vitæ ſanctioris mancipauerit, eis liceat impunè recedere: vt ſponſus quod datum eſt arrarum nomine poſſit repetere, & ſponſa præter id quod accepit, nihil omnino cogatur reſtituere: & id cauetur etiam *cap.* 40. *addit.* 3. *ad Cap. Caroli magni.*

Digitized by Google

De Conuersione infidelium.
Tit. 33.

ID sequitur modò, vt dispiciatur, cùm coniugum alter ab infidelitate ad veram & orthodoxam fidem accedit, quid sit statuendum, & qua ratione soboles ali debeat. Constituitur autem, vt non possit mulier matrimonium contrahere cum eo, qui ad fidem conuersus est; si dolo communi & insidijs, primus eius maritus è viuis abierit: possit verò cum eo in matrimonium conuenire, qui cùm infidelis esset, virum eius in bello occidit. Quod ad prolis educationem; id cauetur, vt marito Christiano effecto, vxore pertinaci contumacia errorem pristinum sectante, liberi patrem sequantur; nisi in ea ætate sint, qua materno solatio magis indigeãt, vt ei potius debeãt assignari:

πάντων ἀξιοπιστοτέρα μήτηρ ὄση πρὸς τὴν τῶν παίδων ἀγάπην, vt ait Iustin. N. περὶ διαφορᾶς ῥημάτων. *cap.* 38. Id autem ita admitti debere ait Gregorius Pontifex, *cap. vlt. hoc tit.* quòd puerperij labor maternam caritatem augere videatur. Hinc Eurip. in Phœniſſis:

Δηνὸν γὰρ ἀγῶνα τίκτουσ' ὠδῖνας λοχαί.
Καὶ φιλότεκνόν πως πᾶν γυναικεῖον γένος.

Hac ratione, id in cauſa quoque eſſe Ariſtoteles tradit, *lib.* 9. *ad Nicomachum*, cur liberos matres magis ament, quàm qui genuerunt; eo etiam addito, quòd certæ ſint ſemper, & ſecuræ prolem ſuam eſſe: δοκεῖ δή, inquit, οὗ μὲν πάθος ἄπονον εἶναι, τὸ δὲ ποιεῖν ἐργῶδες· διὰ ταῦτα, καὶ αἱ μητέρες φιλοτεκνότεραι, ὀπονωτέρα γὰρ ἡ γένεσις, καὶ μᾶλλον ἴσασιν ὅτι αὐτῶν.

Digitized by Google

De Voto & voti redemptione.
Tit. 34.

TItulus 31. huius libri fuit de voto monaſticæ, & ſanctimonialis vitæ; hic vero eſt generalis de omni voto, & eius redemptione. Vouere quidem initio liberum eſt, nec quis cogi poteſt vt voueat: At vbi votum ſemel emiſſum, & conceptum eſt, tunc & exſoluendum omnino, *cap. 7. hoc tit.* Ita lege Moſis, *cap.* 30. *Num.* cautum eſt, ἄνθρωπος, ὃς ἂν εὔξηται εὐχὴν κυρίῳ, ἢ ὀμόσῃ ὅρκον, ἢ ὁρίσηται ὁρισμῷ περὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, οὐ βεβηλώσει τὸ ῥῆμα αὐτοῦ· πάντα ὅσα ἐξέλθῃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ποιήσει. Idem conſtituitur *Deutero. cap.* 23. Apud Ciceronem *lib.* 2. *de legibus* ea lex ſancita eſt: *Sanctè vota reddunto.* Poſſunt tamen vota redi-

mi, ſuadente aliqua ratione: vt votum peregrinationis, & eiuſmodi cetera, eleemoſynis commutari poſſunt. Et id demum admittitur, ſi Epiſcopi autoritas intercedat, penſatis rerum & perſonarum circunſtantijs, *cap.* 1.2. 8.9. Poſſunt etiam cauſa cognita in tempus differri, *cap.* 4. Compellitur verò heres aut filius, votum quo defunctus ſe adſtrinxerat adimplere, maximè ſi eum enixæ voluntatis precibus ſit obteſtatus, *cap.*5. Votum accipiendum eſt, conſtantis voluntatis firmum, ac ſtabile decretum: deſtinatio enim quælibet, aut propoſitum, quod certum animi iudicium non habet, ad obligationem nihil facit. *cap.* 3. Ex iure ciuili hoc conſtat, non obligari filiumfam. ex voto, *l.* 2. *ff. de pollicit.* Lege etiam Moſaica, *d.cap.*30. *Num.* mulier quæ in patris aut mariti ſacris conſtituta

eſt, ius non habet nuncupandi aut ſoluendi voti, niſi patris aut mariti conſenſum tacitum, vel expreſſum habeat. Ita olim obtinuit, vt ſolus pater filiam poſſet perpetuæ caſtitati addicere; quod oſtendit locus ille Virgilij *Æn.* II.

Alma tibi hanc, nemorum cultrix
Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voueo.

De ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium.

Tit. 35.

QVibuſdam præmiſſis quibus conſtitit quemadmodum quis monaſterium ingredi deberet: datur hic titulus de ſtatu, id eſt, de officio & munere Monachorum; quem vitæ modum tenere debeant, ſimulatque ſolenni voto ſe obligauerint. Monachi in duplici ſunt genere:

Alij ſimul in conuentibus degunt, qui & ideo ſynoditæ appellantur, *l. addictos. C. de Epiſc. aud. & l. 57. C. Th. de appell.* Horum præpoſiti, Abbates dicuntur, Ἡγούμενοι, Ἀρχιμανδρίται. Alij ſeorſim agunt, & ſoli ſunt, qui & eremitæ dicuntur, & Iuſtiniano *N. 5. cap. 3.* μοναχοὶ & ἡσυχασταί· quos nimirum vita commẽdatior à nutu & regula Abbatis veluti manumiſſos, ſylueſtribus antris mancipauit, vt in ſolitudine impenſiùs ſanctitati vacent. Monachorum inſtitutio propè omnis cœpit ab Eremitis, vt D. Hieron. tradit ſatis perſpicuè *in vita Pauli Eremitæ in pr.* Nominis etiam originatio ipſa ſatis docet, Monachum ſolum eſſe debere. Obtinuit tamen & Monachos ipſos dici, qui communionem inter ſe habent, & à commercio ceterorum hominum prorſus abſtinent. Ita *in l. 26. quidam. C.*

de decur. lib. 10. dicitur cœtus μοναζόντων. De his igitur hoc titulo id primùm requiritur, vt in communi viuere debeant, & in eodem loco commorari, *d. N.* 5. Iisdem etiam vtuntur cibis, nisi cuiusquam aduersa valetudo aliud deposcat, *cap.* 6. §. 1. *hoc tit.* Ea κοινοβία nomine significantur, quod primò vsurpatum fuit à Pythagoræis, apud quos id vitæ genus initium sumpsit, vt quisque cùm in disciplinam reciperetur, quod pecuniæ & familiæ habebat, in commune daret, vt Gellius auctor est, *lib.* 1. *noct. Attic.* His illud consequens, vt rei cuiusque proprietatem Monachi abdicare necesse habeãt: quin & peculium penes se retinere vetantur. *cap.* 5. §. *de reg. & transf. ad relig.* & si quod habent, iubentur in commune conferre, & in Abbatis manibus resignare. *cap.* 7. §. *de offi. ordin.* Verè philosophantes pecuniam

contemnunt, vt inquit I. C. *in l.* 8. §. 4. *ff. de vacat. mun.* & rectè lex 104. C. Th. de decur. *Animos diuina obſeruatione deuinctos non decet patrimoniorum deſideriis occupari.* Non debent Monachi itaque id vſurpare quod profeſſione eleuant: ſi ſecus ab his fiat, canonicæ vltioni ſubduntur. Hinc *in can.* 6. *Synodi habitæ in Trullo* ita conſtitutum eſt, vt & refert Harmenop. *lib.* ;. εἰ μοναχὸς φωεσθείη ἢ αὐτὸς μὴ τοσοῦτος ὀπτιμάσθω· ἐκεῖνο γὰρ ἢ τὸ τοσοῦτος, ἢ τὸ ὁποσοῦν τοσοῦτον πτωχοῖς καὶ ἀπόροις ὀλιγεμέσθω. Sed & ſi in extremis aliquid habuiſſe inuenti fuerint, nec pœnituerint, ſepulturam cum alijs non accipiunt. *cap.* 2. 4. 6. *hoc tit.* Hoc item ex inſtituto Monachorum pendet, ne Parochialium Eccleſiarum

curam

curam ſuſcipiant ſine diſpenſatione. *d. cap.* 2. *&* 5. Pari ratione qui regulam profeſſi non ſunt, monaſterio tanquam Abbates præfici nec eligi poſſunt. *cap.* 27. *&* 49. ſ. *de elect.* Arnulphus in ſermone habito in ſynodo in fine: *Regularis conuentus accipiat patrem regulari inſtitutione formatum, ne ſtatuæ aureæ caput æneum dicatur affixum.* Abbates olim vt plurimùm laici fuerunt: & ideo clericis in minoribus ordinibus conſtitutis ſubiiciuntur. *can. à ſubdiacono.* 51. *diſt.* hodie niſi Presbyteri ſint, non præficiuntur. *cap.* 1. 3. *de æt. & qual. præfic.* Nihilominus ſæpiſſimè per commendas huic iuris conſtitutioni illuditur: quo fit vt regulam monaſticam, neque habitu, neque ordine Abbates referant, & ſola emolumentorum & redituum perceptione in temporalibus dignitatem ſuam prætendant.

De religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ. Tit. 36.

GEneralis eſt hic titulus, de his locis quæ ad cultum religionis deuotio Chriſtianorum erexit: ſiue ea parata ſint in vſum orationis, vt baſilicæ, oratoria, monaſteria; ſiue hoſpitibus & infirmis ſuſcipiendis, vt ſunt ξενοδοχεῖα, νοσοκομεῖα, & eiuſmodi cetera. Ea in ditione & potestate Epiſcopi ſunt, in cuius diœceſi conſiſtunt: quod etiam ex Concilio Aurelianenſi obtinet, *can. omnes baſilicæ. 16. qu. 7.* Hac ratione & dos cuiuſque Eccleſiæ, in eius eſt diſpoſitione. *can. decretum. can. nouerint. 10. qu. 1. cap. 36°. lib. 7. cap. Caroli Magni.* Hodie obtinet vt matricularij qui rationem eccleſiæ pertractant eiúſque bona adminiſtrant, coram Parochianis ad calculum vocẽtur ad-

Digitized by Google

uocato Rectore ecclesiæ: nec in his Episcopus potest vllum ius notionémque sibi vindicare, nec qui iurisdictionem habent ab eo, Archidiaconi & ceteri similes: quod plurima Senatus Parisiensus constituta sanxerunt. Ad eum autem Episcopum, Basilicarum siue Ecclesiarum consecratio pertinet, qui iurisdictionem eo loci semper exercuit, quo exstructæ sunt. *cap.* 1. *hoc tit.* & id ita, quamuis Episcopi alterius sumptibus fuerint ædificatæ. *can. si quis. can. fin.* 16. *qu.* 5. Ea etiam cura Episcopo incumbit, vt procuret domum quamque religiosam ei vsui esse, cui primùm destinata fuit. *cap.* 3. 4. In Ecclesiis quibuscumque territorij sui vindicare iura Episcopalia potest. *cap.* 6. & 7. nisi sit monasterium aliquod, quod priuilegio summi Pontificis ab eius iurisdictione sit exemptum. *cap. pen.*

De Capellis monachorum & aliorum religioſorum. Tit. 37.

QVod hîc agitur de Capellis monachorum, id non eſt de monaſteriis, in quibus monachi ipſi conſiſtunt; ſed de Eccleſiis, quæ ad ius eorum pertinent, & in quibus ius habent patronatus, quod plerumque iis cõpetit, *cap. 2. §. de ſup. negl. præl. cap. 1. de iu. patr. in Clem.* In his ex ſuo conuentu monachum inſtituere non poſſunt, ſed Epiſcopo præſentare Capellanum tantùm poſſunt, qui idoneè officium ſuum exſequatur. *cap. 1. hoc tit. cap. 31. §. de præb.* Id verò eſt, de capellis, quæ ad eos non pleno iure pertinent, vt & conſtituitur *cap. 3. §. in Eccleſiis. j. de priuileg.* In aliis in quibus plenum ius habent, inſtituere Preſbyteros ipſi poſſunt. *can. viſis. can. fin. 16. qu. 2.* Capellanum appel-

latione, in hoc titulo veniunt etiam & prioratus, de quibus hoc cauetur, ne singuli monachi in his constituantur, aut commorentur, sed socij eis adiungantur, qui eiusdem regulæ constituta seruent. *cap. pen. & fin.*

De iure Patronatus. Tit. 38.

IVs Patronatus, [illegible]o est titulus hic, moribus & consuetudine receptum est: & illud conniuentibus oculis admisit potius Ecclesia, quàm induxit: quod caput 3. huius tituli satis apertè docet. Eius admittendi ea ratio fuit, vt quisque inuitaretur ad pietatis cultum, & Ecclesias ædificandas. Temporibus Iustiniani primùm inualuisse videtur, vt constat ex *can. 4. Abbatem. 18. q. 2.* hic enim canon Pelagii est, qui sub Iustiniano floruit. Sed & Iustin. ipse *N. 57. cap. vlt. & N. 123. cap. 18.* nominatim cauet, ei qui Ecclesiam

mi, ſuadente aliqua ratione: vt votum peregrinationis, & eiuſmodi cetera, eleemoſynis commutari poſſunt. Et id demum admittitur, ſi Epiſcopi autoritas intercedat, penſatis rerum & perſonarum circunſtantijs, *cap.* 1.2. 8.9. Poſſunt etiam cauſa cognita in tempus differri, *cap.* 4. Compellitur verò heres aut filius, votum quo defunctus ſe adſtrinxerat adimplere, maximè ſi eum enixæ voluntatis precibus ſit obteſtatus, *cap.* 5. Votum accipiendum eſt, conſtantis voluntatis firmum, ac ſtabile decretum: deſtinatio enim quælibet, aut propoſitum, quod certum animi iudicium non habet, ad obligationem nihil facit. *cap.* 3. Ex iure ciuili hoc conſtat, non obligari filiumfam. ex voto, *l.* 2. *ff. de pollicit.* Lege etiam Moſaica, *d. cap.* 30. *Num.* mulier quæ in patris aut mariti ſacris conſtituta

eſt, ius non habet nuncupandi aut ſoluendi voti, niſi patris aut mariti conſenſum tacitum, vel expreſſum habeat. Ita olim obtinuit, vt ſolus pater filiam poſſet perpetuæ caſtitati addicere; quod oſtendit locus ille Virgilij *Æn.* II.

Alma tibi hanc, nemorum cultrix
Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voueo.

De ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium.

Tit. 35.

QVibuſdam præmiſſis quibus conſtitit quemadmodum quis monaſterium ingredi deberet: datur hic titulus de ſtatu, id eſt, de officio & munere Monachorum; quem vitæ modum tenere debeant, ſimulatque ſolenni voto ſe obligauerint. Monachi in duplici ſunt genere,

Alij ſimul in conuentibus degunt, qui & ideo ſynoditæ appellantur, *l. addictos. C. de Epiſc. aud. & l. 57. C. Th. de appell.* Horum præpoſiti, Abbates dicuntur, Ἡγούμενοι, Ἀρχιμανδρίται. Alij ſeorſim agunt, & ſoli ſunt, qui & eremitæ dicuntur, & Iuſtiniano *N. 5. cap. 3.* μοναχοὶ & ἡσυχασταί· quos nimirum vita commẽdatior à nutu & regula Abbatis veluti manumiſſos, ſylueſtribus antris mancipauit, vt in ſolitudine impenſiùs ſanctitati vacent. Monachorum inſtitutio propè omnis cœpit ab Eremitis, vt D. Hieron. tradit ſatis perſpicuè *in vita Pauli Eremitæ in pr.* Nominis etiam originatio ipſa ſatis docet, Monachum ſolum eſſe debere. Obtinuit tamen & Monachos ipſos dici, qui communionem inter ſe habent, & à commercio ceterorum hominum prorſus abſtinent. Ita *in l. 26. quidam. C.*

de decur. lib. 10. dicitur cœtus μοναζόντων. De his igitur hoc titulo id primùm requiritur, vt in communi viuere debeant, & in eodem loco commorari, *d. N.* 5. Iisdem etiam vtuntur cibis, nisi cuiusquam aduersa valetudo aliud deposcat, *cap.* 6. §. 1. *hoc tit.* Ea κοινοβίου nomine significantur, quod primò vsurpatum fuit à Pythagoræis, apud quos id vitæ genus initium sumpsit, vt quisque cùm in disciplinam reciperetur, quod pecuniæ & familiæ habebat, in commune daret, vt Gellius auctor est, *lib.* 1. *noct. Attic.* His illud consequens, vt rei cuiusque proprietatem Monachi abdicare necesse habeãt: quin & peculium penes se retinere vetantur. *cap.* 5. §. *de reg. & transf. ad relig.* & si quod habent, iubentur in commune conferre, & in Abbatis manibus resignare. *cap.* 7. §. *de offi. ordin.* Verè philosophantes pecuniam

contemnunt, vt inquit I. C. *in l.* 8. §. 4. *ff. de vacat. mun.* & rectè lex 104. C. Th. de decur. *Animos diuina obſeruatione deuinctos non decet patrimoniorum deſiderijs occupari.* Non debent Monachi itaque id vſurpare quod profeſſione eleuant: ſi ſecus ab his fiat, canonicæ vltioni ſubduntur. Hinc *in can.* 6. *Synodi habitæ in Trullo* ita conſtitutum eſt, vt & refert Harmenop. *lib.* ;. εἰ μοναχὸς φωεσθεὶς παρὰ τοῦ ἁγίου παρυποκρατήσας, αὐτὸς μὲν θεσπικόντως ὑπομάθῃ· ἐκεῖνο δὲ ἅπερ τὸ θεσέως, ἢ τὸ ὑποκόπου πθεσασκόμενον πλουσίοις καὶ ἐνόροις ὀφειλέσθω. Sed & ſi in extremis aliquid habuiſſe inuenti fuerint, nec pœnituerint, ſepulturam cum alijs non accipiunt. *cap.* 2. 4. 6. *hoc tit.* Hoc item ex inſtituto Monachorum pendet, nec Parochialium Eccleſiarum

curam

curam ſuſcipiant ſine diſpenſatione. *d. cap.* 2. *&* 5. Pari ratione qui regulam profeſſi non ſunt, monaſterio tanquam Abbates præfici nec eligi poſſunt. *cap.* 27. *&* 49. s. *de elect.* Arnulphus in ſermone habito in ſynodo in fine: *Regularis conuentus accipiat patrem regulari inſtitutione formatum, ne ſtatuæ aureæ caput æneum dicatur affixum.* Abbates olim vt plurimùm laici fuerunt: & ideo clericis in minoribus ordinibus conſtitutis ſubiiciuntur. *can. à ſubdiacono.* 53. *diſt.* hodie niſi Presbyteri ſint, non præficiuntur. *cap.* 1. 3. *de æt. & qual. præfic.* Nihilominus ſæpiſſimè per commendas huic iuris conſtitutioni illuditur: quo fit vt regulam monaſticam, neque habitu, neque ordine Abbates referant, & ſola emolumentorum & redituum perceptione in temporalibus dignitatem ſuam prætendant.

De religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ. Tit. 36.

GEneralis eſt hic titulus, de his locis quæ ad cultum religionis deuotio Chriſtianorum erexit: ſiue ea parata ſint in vſum orationis, vt baſilicæ, oratoria, mouaſteria; ſiue hoſpitibus & infirmis ſuſcipiendis, vt ſunt ξενοδοχεῖα, νοσοκομεῖα, & eiuſmodi cetera. Ea in ditione & poteſtate Epiſcopi ſunt, in cuius diœceſi conſiſtunt: quod etiam ex Concilio Aurelianenſi obtinet, *can. omnes baſilicæ. 16. qu. 7.* Hac ratione & dos cuiuſque Eccleſiæ, in eius eſt diſpoſitione. *can. decretum. can. nouerint. 10. qu. 1. cap. 36. lib. 7. cap. Caroli Magni.* Hodie obtinet vt matricularij qui rationem eccleſiæ pertractant eiúſque bona adminiſtrant, coram Parochianis ad calculum vocẽtur ad-

uocato Rectore ecclesiæ: nec in his Episcopus potest vllum ius notionémque sibi vindicare, nec qui iurisdictionem habent ab eo, Archidiaconi & ceteri similes: quod plurima Senatus Parisiensis constituta sanxerunt. Ad eum autem Episcopum, Basilicarum siue Ecclesiarum consecratio pertinet, qui iurisdictionem eo loci semper exercuit, quo exstructæ sunt. *cap.* 1. *hoc tit.* & id ita, quamuis Episcopi alterius sumptibus fuerint ædificatæ. *can. si quis. can. fin.* 16. *qu.* 5. Ea etiam cura Episcopo incumbit, vt procuret domum quamque religiosam ei vsui esse, cui primùm destinata fuit. *cap.* 3. 4. In Ecclesiis quibuscumque territorij sui vindicare iura Episcopalia potest. *cap.* 6. & 7. nisi sit monasterium aliquod, quod priuilegio summi Pontificis ab eius iurisdictione sit exemptum. *cap. pen.*

De Capellis monachorum & aliorum religioſorum. Tit. 37.

QVod hîc agitur de Capellis monachorum, id non eſt de monaſteriis, in quibus monachi ipſi conſiſtunt; ſed de Eccleſiis, quæ ad ius eorum pertinent, & in quibus ius habent patronatus, quod plerumque iis cõpetit, *cap.* 2. s̃. *de ſup. negl. præl. cap.* 1. *de iu. patr. in Clem.* In his ex ſuo conuentu monachum inſtituere non poſſunt, ſed Epiſcopo præſentare Capellanum tantùm poſſunt, qui idoneè officium ſuum exſequatur. *cap.* 1. *hoc tit. cap.* 31. s̃. *de præb.* Id verò eſt, de capellis, quæ ad eos non pleno iure pertinent, vt & conſtituitur *cap.* 3. §. *in Eccleſiis.* j̃. *de priuileg.* In aliis in quibus plenum ius habent, inſtituere Preſbyteros ipſi poſſunt. *can. viſis. can. fin.* 16. *qu.* 2. Capellanum appel-

latione, in hoc titulo veniunt etiam & prioratus, de quibus hoc cauetur, ne singuli monachi in his constituantur, aut commorentur, sed socij eis adiungantur, qui eiusdem regulæ constituta seruent. *cap. pen. & fin.*

De iure Patronatus. Tit. 38.

IVs Patronatus, hoc est titulus hic, moribus & consuetudine receptum est: & illud conniuentibus oculis admisit potius Ecclesia, quàm induxit: quod caput 3. huius tituli satis apertè docet. Eius admittendi ea ratio fuit, vt quisque inuitaretur ad pietatis cultum, & Ecclesias ædificandas. Temporibus Iustiniani primùm inualuisse videtur, vt constat ex *can.* 4. *Abbatem.* 18. *q.* 2. hic enim canon Pelagii est, qui sub Iustiniano floruit. Sed & Iustin. ipse *N.* 57. *cap. vlt. & N.* 123. *cap.* 18. nominatim cauet, ei qui Ecclesiam

exſtruxit, & alimenta clericis in ea miniſtrantibus conſtituit, licere Clericos Epiſcopo præſentare eius iudicio probandos & inſtituendos. Præſentare vocat *d. cap.* 18. ὑπαγγέλειν & ὀνομάζειν, vnde & ius Patronatus dicitur paſſim ius nominationis. Eadem ferè ratione olim obtinuit, vt qui certamina ad ciuit[illegible] vel municipij decus inſtituerent, ſibi heredibúſque ſuis poſſent illud ius excipere, vt ludis præeſſent tanquam agonothetæ: cuius rei veſtigium eſt *in l. annuam. & l.* 21. *liberto.* §. 3. *ff. de ann. leg. & in l.* 10. *Septicia. ff. de pollicit.* Moris etiam fuit, ſi quis ſtatuam in templo poneret, aut ſtatuam in foro collocaret, in baſi nomen donãtis inſcribi, vt cõſtat *ex act. 6. in Verrem, & ex l.* 38. *Titia.* §. *fin. ff. de auro & arg. leg.* Hinc Xenophon *lib.* περὶ πρόσοδων, quemque indigenarũ & exterorum munificentiorem exiſtere ad

publica opera exſtruenda, ſi hoc præmio inuitētur: εἰ μέλλοιεν βοῦλόμενοι αὐαγραφήσεσθαι ἐς τὴν ἅπαντα χρόνον, vt ipſe ait. Sed ad rem. In ipſis Eccleſiæ naſcentis exordiis, non prodiit ius eiuſmodi vllum ei competiiſſe, qui vel conſtruxiſſet Eccleſiam, vel dotem ei aſſignaſſet. Id tantùm licuit, vt quam vellet legem & conditionem ſumptibus diceret, vt conſtitutum eſt *l.* 15. ἐαυτῆς. *C. de ſacr. Eccl.* Quod verò Gelaſius Papa, qui ſub Zenone & Anaſtaſio floruit, cauet de proceſſionis aditu *in can. præmentis. & can. Frigentius.* 16. *qu.* 7. id nullam prærogatiuam neque ius ædificanti tribuit, ſed quod omnibus Chriſtianis licuit in dedicatione ipſius Eccleſiæ, proceſſionem adire, cùm ad cultum religionis adducebatur: qua de re eſt can. præcepta. & can. certum. *de conſecr. diſt.* 1. Poſtea il-

Iud ius ita obtinuit, vt etiam Concilio Toletano quarto constitutum sit, non licere Episcopis quemquam instituere in Ecclesia aliqua, quem patronus non præsentauerit, & collationem quæ secus facta est, ad irritum recidere, *can. decernimus. 16. qu. 7.* Id & hodie receptum est, vt ante tempus patrono præstitutum, quo præsentare possit, Episcopus liberum non habeat arbitrium Ecclesiam conferendi. Tempus illud ex personarum conditione diuersum est. In patrono laico est quatuor mensium, in patrono Ecclesiastico sex mensium. *cap. 3. & 27. hoc tit. cap. vn. eod. tit. in 6.* Plura sunt quæ in patronis laicis & Ecclesiasticis diuersè obtinent. Patronus laicus variare potest, & vnum, item alterum præsentare, vt ex Episcopi potestate sit, quem velit eligere, nulla habita ratione, quis prior præsentatus sit: Patro-

nus Ecclesiasticus non item, & qui prior est tempore, potior est iure, *cap.* 5. 24. 29. Rursus si Patronus laicus præsentet indignum, non priuatur potestate alterum præsentandi etiam illa vice. *cap.* 4. §. *de off. ord.* In Ecclesiastico secus obtinet. *cap.* 7. §. *fin.* §. *de elect. cap.* 11. §. *de excess. præl.* Præter Presbyteri præsentationem, habet Patronus iura alia, nimirum præstationes quasdam. *cap.* 18. *sup. de sent. & re iud. cap.* 23. *hoc tit.* Habet item illud, vt si calamitate, & infortunio alicuo, ad arctiores rei familiaris angustias reciderit, sumptibus Ecclesiæ alatur. *can. contra.* 16. *q.* 7. *cap.* 25. *hoc tit.* quod idem obtinuit in eo qui ob munificentiam in patriam, facultatibus lapsus est; ei enim ex publico alimenta decerni debent, *l.* 8. *ff. de decur.* Licèt autem laicis ius patronatus competat, tamen spirituale est, ratione Ecclesiæ cui adhæret: quem-

admodum *in l. 43. ff. de rei vind.* religiosa dicuntur, quæ religiosis adhærent. Itaque nec vendi potest ius patronatus. *cap.* 16. Transit tamen cum vniuersitate, *cap.* 7. vt ea quæ alienari per se nõ possunt, rei venditæ plerumque accedunt. *l.* 24. *in modicis. ff. de contr. empt. l.* 62. *quædam. ff. de acq. rer. dom.* Illa ratione quod spirituale sit, obtinuit olim vt cùm de eo disceptatio esset, iudices Ecclesiastici notionem haberent. *cap.* 3. s̃. *de iud.* Hodie in vsu est, vt iudices sæculares de eo cognoscant, habita ratione personarum quæ plerumque magis attenditur. Illud supereſt, ius hoc acquiri constructione, vel dotatione, *d. cap.* 25. *& can. filꝫs.* 16. *qu.* 7. Sed & si vnus fundum dederit, alter Ecclesiam constructerit, dotem alter assignauerit; dubium non est quin tres patroni effici possint. Item is patronatum in Ecclesia acquirere potest, qui do-

tem antiquam non sufficientem auget, vel nouam, dum fortè antiqua alienata vel deperdita est, constituit. Idem est si Ecclesiam vetustate collapsam aliquis restauret & reficiat.

De censibus, exactionibus & Procurationibus. Tit. 39.

CEnsus propriè sumitur pro tributo, quod supremo principi debetur, in iustæ & legitimæ dominationis recognitionem, vt *in tit. ff. de censibus, & in tit. C. de cens. & rel.* quod & sequitur D. Augustinus *in can. maiores. 16. qu. 7.* Hoc titulo accipitur κατὰ κανόνας, pro quolibet iure & pensitatione, quæ pro lege diœcesana, vel iurisdictionis, superioribus, Prælatis, Episcopis, Archiepiscopis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Abbatibus, & eiusmodi ce-

Digitized by Google

teris ab vnaquaque Ecclesia, vel monasterio ijs subdito debetur. Non possunt Episcopi nouas consuetudines, siue nouum censum indicere. *cap.* 3. 7. quod ad laicos quoque extenditur, qui noua vectigalia instituere prohibentur sine regis consensu. *cap.* 10. Non possunt item Prælati, veteres augere pensiones. *cap.* 6. s̃. *de pactis*, *cap.* 11. s̃. *de iureiur. cap.* 13. 15. *hoc tit.* Inter iura Episcopalia quæ Episcopis debentur à locis in eorum diœcesi constitutis eíque subiectis: ea vt plurimùm recensentur: Cathedraticum siue synodaticum, & quarta decimationum & mortuariorum. *cap.* 16. s̃. *de off. ordin. cap.* 19. *hoc tit.* Sunt etiam Procurationes quas ratione visitationis habet. Debent Episcopi per singulos annos circumire diœceses suas. *cap.* 365. *lib.* 7. *capit. Caroli Magni.* Hac de causa, à singulis Ecclesiis seu Capellis quas visi-

tant, debentur eis annonæ, cibaria, pabula iumentorum, totiúsque comitatus exhibitio. Ita hospiti hospitem inuisenti præbitæ olim hospitales epulæ, quæ ξένια vocat Homerus *Iliad.* 18. Oblata etiam à prouincialibus olim fuerunt iudicibus, prouinciæ suæ ciuitates obeuntibus, pulueratica muneris loco, vt docet eruditi antecessoris obseruatio 18. *lib.* 4. Quemadmodum autem benignè Ecclesiæ aut monasteria Episcopum visitantem suscipere debent, vt gratè, quæ sunt iusta laboribus eius, victus solatia præstent: ita in suscipiendis procurationibus moderatè se gerere debent Prælati, ne vltra modum molestos se præbeant, *d. cap.* 16. §. *de off. ind. ord.* idque sancitum est constitutione Aurelianēsi, §. 6. Itaque hæc res ita temperanda est, vt mediè omnia dispiciantur; & neque qui onerosi multum, neque qui sunt delicati

nimis, audiantur, *arg. l. 25 ſi ſeruos. ff. de pign. act.* Eiuſmodi verò procurationes & euectiones ita Prælatis iure communi competunt, vt cuiquam non liceat aduerſus eos ſe tueri, quamuis non pareat eas olim præſtitas fuiſſe. *cap.* 16. §. *de præſcr. cap.* 24. *hoc tit.* & quantumcunque iura Epiſcopalia cuiquam Epiſcopus remiſerit, procuratio tamen, quæ ratione viſitationis debetur, cenſetur ſemper excepta. *cap.* 21. quod & de cathedratico cautum eſt. *cap.* 7. §. *de donat.*

De conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris. Tit. 40.

COnſecratione, baſilica vel Eccleſia ad cultum religionis adducitur. Ea fiebat olim collocatione venerandæ Chriſtianæ religionis ſigni, quo loca profana expiari dicebantur. *l. fin. C. Th.*

Digitized by Google

de Pagan. & ſacrif. & templ. Ita Iuſtinianus id ſecutus, N. 5. *cap.* 1. N. 123. *cap.* 33. & N. 131. *cap.* 7. conſtituit eo loci, vbi Eccleſia exſtrui debet, preces fundi debere, & ſanctam crucem figi, quam & ipſe ibidem vocat, ἡμετέρας σωτηρίας συμβόλαιον, & N. 28. θεῖον χριστιανῶν σύμβολον. Vult etiam N. 67. fieri in eodem loco δημοσίαν πρόοδον, id eſt, publicam proceſſionem, de qua *in tit. de in. pat.* §. Apud Paganos ipſos, in more fuit poſitum, ſpatium omne quod templo dicabatur, ſolennibus ſacrificiis luſtrari, vt Tacitus auctor eſt, *lib.* 20. Hodie cùm conſecratur Eccleſia, vel altare, ſolet chriſmate perungi. *cap. vn. §. vlt. ſup. de ſacra vnct.* Idem cauebatur lege Moſis, *Exodi cap.* 30. & 40. Ipſæ autem Eccleſiarum inaugurationes dicuntur encænia. *can. ſolennitates. de conſecrat. diſt.* 1. quaſi ἀπὸ τοῦ

ἐγκαινίζειν, quia locus consecratus ab hominum commercio eximitur, & quodammodo innouatur. Receptum olim erat eas non fieri sine consensu & autoritate summi Pontificis. *can. de locorum. cum seqq. eod. dist.* Hodie id passim Episcopis indulgetur, & ad eos Ecclesiæ vel altaris consecratio pertinet, *cap. pen. §. de præscr.* Aliis non permittitur: & ideo qui sacerdotes tantùm sunt, id non possunt, *cap. 159. lib. 7. cap. Caroli Magni.* Non item cùm quacunque ratione à religione Ecclesia liberata est, ab alio potest reconciliari, quàm ab eo, qui honorem habet Episcopalis dignitatis. *cap. pen. hoc tit.* Reconciliatur tum demum, cùm homicidia in ea perpetrata sunt, aut excommunicatus in ea sepultus est: idque fit per aquam cum cinere & vino benedictam, *cap. 4. & 7.* Cùm altare loco suo mouetur, aut lapis qui sigillum continet,

continet, confractus est, consecratur denuo : non tamen Ecclesia ipsa. *cap.* 1. & 6. Olim etiam his de causis, Ecclesia denuo consecrabatur, vt Yuo Carnotensis Episcopus testatur, *ep.* 72. & 80.

De celebratione Missarum & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis officiis.

Tit. 41.

HIc titulus exponit quemadmodum Clerici statis horis pensum orationis exsoluere debeant, & Missarum solennia celebrare. Interserit etiam multa de Sacramento Eucharistiæ. Sacra Missarum solennia Synes. vocat ἀπορρήτους πλεκτάς, *ep.* 58. *in fi.* Iustinianus constitutione Græca, *l. vlt. C. de Episc. and.* eadem vocat. θεοτελεστὰ μυστήρια. Missa etiam passim à Græcis dicitur, λειτουργία.

Digitized by Google

vt & *in l.* 44. τῶν ἁγιωτάτων. C. *de Episc. & Cler. & N.* 7. *cap.* 11. & *alibi passim*. Dicitur etiam ἁγία συναξις N. 123. & 137. §. *vlt.* vbi & illud constituitur, vt clara voce celebretur, πρὸς τὸ καὶ τοῦτο τὰ τῶν ἀκουόντων ψυχὰς, εἰς πλείονα κατανύξιν, & τὴν πρὸς τὸν δεσπότην καὶ θεὸν εὐγνωμοσύνην δοξολογίαν. Idem Iustin. N. 58. & 131. *cap.* 8. prohibet ne in priuatis domibus & oratoriis liceat diuina mysteria agere.

De Baptismo, & eius effectu.
Tit. 42.

SEquitur de Baptismo, quem Marcus Eremita lib. περὶ τῶν οἰομένων ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι, vocat λυτρὸν παλιγγενεσίας. Id maximè hoc tit. constituitur, in eo conferendo necessaria esse verba & aquam. Præterea nemi-

nem ſibi ipſi conferre poſſe Sacramentum illud: & diſtingui debere eum qui baptizat, ab eo qui baptizatur: affectum tamen eius, & rectam animi deſtinationem, qui ſeipſum aquis immerſit, ad ſalutem conferre, ſi facultas eidem ſe non obtulerit ex Eccleſiæ inſtituto aquis baptiſmalibus tingi. Id demum definitur, infantibus, & quibuſlibet alijs non conſentientibus, ſi liquidò & nominatim non contradicãt, collatum baptiſmum prodeſſe, inuitis & reclamantibus collatum non prodeſſe. Ἀκροθιγῶς τύπων ἐφάπτεται, ὥσπερ καὶ τῆς ἕξεως, ἀναγκάζει τῶν πλέον τὸ συνεχές· ἄμωσγε ὅτι ἔστι πεῤῥόντος βαπτισθύματος, τῶν μυστικωτέρων ἀδ' ὅπῃ πεφηνάμεν.

De Presbytero non baptizato.
Tit. 43.

AD ſuperiorem titulum pertinet titulus hic, & eius veluti pars eſt: vult verò Presbyterum qui ad ſacros ordines acceſſit, cùm baptizatus non eſſet, baptizari, deinde ad ordines promoueri denuo, quia ordinatio quæ præceſſit baptiſmum, nulla eſt. *Cap. 93. li. 6. capit. Caroli Magni* conſtitutum eſt, vt qui à Presbytero non baptizato baptizatus eſt, rurſus baptizetur: quod & relatum à Gratiano *in can. ſi Presbyter. 1. qu. 1.* Quidam tamen exiſtimauerunt ſufficere ipſis manus imponi, vt probatur *cap. 4. lib. 5. Capitular. Caroli Magni.*

De Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum. Tit. 44.

PErtinet ad dignitatem disciplinæ Ecclesiasticæ, vt in Ecclesia ad momentum honestatis, & decoris omnia componantur, secura & accurata custodia conseruentur ecclesiastica Sacramenta, ne manu cuiusquam temeretur; diligens cautio etiam adhibeatur, vt quæ sacro ministerio opus sunt, munditiem præ se ferant: ne præterea loci sacri vsui sint comportandis, & asseruandis cuiusque rebus, nisi belli tempestas aliqua aut necessitas aliud suadeat. Ea hoc titulo constituuntur.

De Reliquiis & veneratione Sanctorum. Tit. 45.

SVccedit hic titulus de Reliquiis & veneratione Sanctorum, quos Ecclesia colit tanquam Pararios & Interpretes apud Deum; vt cœli participes effecti, eius ciuitatis ius terram incolentibus petant. Ne autem sub specie pietatis, delusus errore populus eius memoriam veneretur, quem innocentis & inculpatæ vitæ testimonium non tueretur, prohibet Ecclesia quemquam inter Sanctos referri, de cuius conuersatione laudabili, & miraculis non constiterit. *cap.* 52. *venerabili.* ℣. *de testibus.* Sed nec cuiquam cultus veneration is est impendendus, quem Romana Ecclesia in diuorum numerum cooptandum non constituerit. *cap.* 1. *hoc. tit.* Sacra verò λείψανα, siue reliquias

vendere, vel in commercio habere omnimodo non licet. *cap. vlt.* Sic in l. 3. C. de sacrosc. Eccl. *Nemo martyres distrahat, nemo mercetur.* Concilio Gangrensi de sanctorum veneratione ita generaliter est definitum, *can.* 20. εἴ τις αἱρῶτο ἐκφωνήσαι ἀθέμιτόν κεχρικώς, καὶ βδελυττόμενος τὰς συναξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω. Ita Harmenopulus lib. 6. τοῦ χείρους inter hæreticos recenset, εἰκονομάχους, & aduersus eos etiam sexta synodus congregata fuit, ex qua est can. *venerabiles. de consecrat. dist. 3.*

Digitized by Google

De obſeruatione Ieiuniorum.
Tit. 46.

NOn aliud hoc titilo propo-nitur, quàm vt ieiunia ſeruentur, quæ certis, ſtatíſque temporibus indicit Eccleſia. De ieiunio, ita D. Hieron. in epiſtolis: *Sollicitè aduertendum eſt, vt quos ſaturitas de paradiſo expulit, reducat eſuries.* Diuus Baſilius, καὶ κατὰ τὸ σῶμα κακώσεις, καὶ τὰ ἐκτὸς ὄπονα, πρὸς ἐπιχὼ τῆς ἀιδροπίας ὑπενύλωται. Caſſiod. etiam lib. II. var. *Eccleſiaſticis ieiuniis fames eſt excluſa popularis, decoris lacrymis fœda triſtitia receſſit, & per ſanctos viros acceleratum eſt, ne traheretur diutius, quod grauabat.* Is autem reus voti non habetur qui ieiunium fregit ægrotus. *cap. 4. §. de reg. iu.* & qui eriis eſurialibus carnes edit,

penuria ciborum, à culpa immunis est. *cap.* 2. *hoc tit.* Crimen non ducitur quod adegit impulsus, vt ait lex vlt. C. *Th. de infirm. his quæ sub Tyr. gesta sunt.* Solennia ieiunia pagani etiam obseruauerunt: hinc Horat. Sat. 3. lib. 2.

Iuppiter ingentes qui das adimísque dolores,
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis;
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Manè die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tyberi stabit.

Ita Liuius lib. 36. *Eorum prodigiorum causa, libros Sibyllinos ex Senatusconsulto Decemviri cùm adiissent, renuntiarunt instituendum ieiunium Cereri esse, & id quinto quoque anno seruandum.* ἀμφὶ γὰρ τῶν νόμων χρόνων, καὶ ἐξ ἀναίτιος εἰρήσθω.

De Purificatione post partum. Tit. 47.

HOc titulo, vt & in can. *cùm enixa. 5. dist. ac lib. 6. Capitul. Caroli Magni cap.* 204. abrogatur lex vetus quæ continetur *cap.* 12. *Leuit.* qua mulier post partum certo dierum spatio arcebatur à templo: cauetur verò vt mulieri simul atque enixa est, liceat Ecclesiam ingredi: ita tamen vt non improbetur verecunda earum modestia, quæ ex religione abstinere voluerint ad tempus.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis. Tit. 48.

ECclesiæ passim & sine delectu ædificandæ non sunt, sed restaurãdæ potius veteres, quàm constituendæ nouæ, quemadmodum de operibus publicis cauetur, *l. vlt. ff. de oper. publ. l. vlt. C. eod.*

tit. Eæ cauſæ igitur maximè diſpiciuntur, cùm aliquam Eccleſiam excitare neceſſe eſt: ſi periculum incumbat, quo conuenire omnibus in vnum locum non liceat; vel ſi viarum diſcrimen, & aſperitas nimia, regionum etiam diſtantia longinquior, fidelium obſequia & congreſſum frequentiorem remoretur. *cap. 2. & 3. hoc tit.* His illa accedere debet, ſi multitudo & cœtus Chriſtianorum ita excreuerit, vt numeroſiori frequentiæ ſufficere non poſſit baptiſmalis Eccleſia, nec intra eam Sacramenta miniſtrari omnibus commodè poſſint: tunc enim in ſubſidium nouam exſtrui, vtilitatis ratio ſuadet, vt eo caſu proditum eſt, ordinari poſſe nouos Epiſcopos. *can. præcipimus.* 16. *qu.* 1. & nouos etiam Primates inſtitui, & Metropoles conſtitui, *can. nulli.* 99. *diſt.* Structuræ verò nouæ Eccleſiæ, ſi quam oportue-

rit ædificari, accedere debet conſenſus Epiſcopi: vt conſtitutum eſt *lib. 5. Capit. Caroli Magni, cap.* 182. Conſideratiùs etiam aduertendum eſt, ne noua Eccleſia in veteris præiudicium exſtruatur, aut ius quod alij competit, alij addicatur. *can. Eccleſiæ. can. quicunque*, 16. *qu.* 1. *cap.* 1. *ſ. de no. op. nunc.* Id item requiritur, vt priuſquam futuræ Eccleſiæ ducantur lineæ, vel ea exſtructa conſecretur, curet Epiſcopus dotem eidem aſſignari, & conſtitui ea, quæ neceſſaria ſunt, ad luminaria, ſiue λυχνοκαΐαν, & Eccleſiæ ornatum, ſtipendia etiam & exhibitionem Clericorum, qui in ea miniſtraturi ſunt, N. 5. & 67. & *cap.* 8. *ſup. de conſecrat. Eccl. vel Alt.* quod etiam Bracharenſi, & Aurelianenſi Concilio conſtitutum eſt. *can. placuit* 1. *qu.* 2. *can. nemo. de conſecr. diſt.* 1. Cùm capella in ambitu cuiuſdam Eccleſiæ paro-

chialis conſtituitur, præſentatio competit Presbytero Cardinali, id eſt, ei qui matrici Eccleſiæ præeſt. *cap.* 12. s̃. *de reſcr. d. cap.* 3. *hoc tit.* Quod ad ipſas Eccleſias reparandas attinet, id omnino obſeruatur, vt qui beneficium in Eccleſia obtinet, ad eius reſtaurationem ex reditibus & prouentibus teneatur conferre. *cap.* 1. & 4. *hoc tit.* quod obtinet etiam in Eccleſiis Cathedralibus, vt ſi Prælatus cum maiore parte capituli ſtatuerit vt quilibet canonicus conferat certam portionem ad reparationem neceſſariam, ceteri neceſſe habeant conſentire. *cap. fin.* s̃. *de his quæ fi. a ma. parte cap.* Fructuum nonam vel decimam partem, taxata quantitate, in hanc rem aſſignari debere cautum eſt, *cap.* 92. *d. lib.* 5. *capit. Carol. Magn.* Moris etiam olim fuit, ex oblationibus quartam, vel tertiam partem Epiſcopo præſta-

ri, quam impenderet locis sacris reficiendis. *can. vnio. 10. qu. 3. can. quatuor. cum seqq. 12. qu. 2.* Constitutionibus Christianorum Franciæ principum iubentur ecclesiarum rectores sumptuum partem quam locis sacris reficiendis erogare necesse est, ferre. Assignatur verò vtplurimùm pars tertia redituum; quod decretis Senatus Parisiensis comprobatum est, idque in rectore Ecclesiæ, qui decimas tantùm habet, vt vocetur in tributum, & partem tertiam decimarum Ecclesiæ ædificandæ concedat: Ex oblationibus tamen quæ ad altare deferuntur, nihil conferunt.

De immunitate Ecclesiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. Tit. 49.

ID consequens est, vt Ecclesias, (simul atque constructæ

& conſecratæ ſunt, vel diuina in his myſteria celebrantur) ſequi debeat immunitas, vt & Clericos in eis miniſtrantes. Itaque nec ad vllas indictiones tenentur, nec functiones vllas munerum ciuilium agnoſcere coguntur. *cap.* 4. & 7. Forum etiam agere in Eccleſiis iudices ſæculares prohibentur, aut ius vllum in his ſibi vindicare. *cap.* 1. & 5. Excipitur excubiarum cauſa, quas cogente caſu aliquo Clerici ipſi agere tenentur, *cap.* 2. Ἥλιος ὑδὲν, ὑδὲ ἡλιείαν, ὁ φεὶ ψυχῆς δυσφοπεῖται πάνδεως, vt inquit Heliod. *lib.* 9. *hiſt. Æth.* Excipiuntur etiam cauſæ itinerum & pontium, quorum inſtruendorum gratia & ipſæ Eccleſiæ pecuniam conferre tenentur. *l.* 7. *ad inſtructiones. C. de ſacroſ. Eccl.* quod & cauetur in conſtitutionibus Caroli Magni, *lib.* 6. *cap.* 107. Ea ratione Iuſtin. N. 131. non vult

Eccleſias agnoſcere, λειτουργίας ῥυπαρὰς, quæ *d. l. 7.* dicũtur ſordida munera: ſed in cauſa ὁδοιπορίας, ἢ γεφυρῶν οἰκοδομῆς, ἢ ἀναγκαίου, non vult eſſe immunes. Olim omnibus ferè muneribus obſtringebantur, vt docet N. 21. Impp. Theod. & Valent. Inde etiam tributorum onus agnoſcebant D. Ambroſius *in can. ſi tributum.* 11. *qu.* 1. *Si tributum petit, non negamus: agri eccleſiæ tributum ſoluunt.* Sed & angarias & perangarias, *l.* 21. *nullus. de curſu publ. lib.* 12. C. Prædia etiam clericorum penſitationibus fiſcalibus erant obnoxia. *l.* 3. *C. de epiſc. & cler.* Inde & conſtat iure ciuili veteranos ab intributionibus, quæ poſſeſſionibus fiunt, non eſſe excuſatos. *l. viæ ff. de veteranis.* Ita etiam Harmenopulus *lib.* 2. *tit.* 5. §. 5. tradit excuſari quidem clericos à perſonalibus muneribus, non autem à patrimonialibus. Vt

autem

autem Ecclesiæ ipsæ immunes sunt, ita præstant confugis securitatem, siue ἐλέῳ βωμῶν, vt ait *l. 3. ἀπεώχθωσαν. Cod. de his qui ad Eccl. confug.* & qui ad eas confugiunt, loci interceſſione, & reuerentia se defendere dicuntur, *can. eos qui. 87. dist.* Ideóque prohibitum est vi illata eosdem ab altaribus & ambitu Ecclesiæ auellere. *can. rem. can. si quis contumax. can. diffinuit. 17. qu. 4. cap. 6. hoc tit.* Id verò est de his qui iniuria potentiorum premuntur, non de illis qui ipsi iniuriam inferunt, aut maioribus sceleribus sunt infames, *d. capit. 6. & vlt. hoc titul.* Iustin. *Nouell. 17. cap. 7.* ἡ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια, ὑ πῖς ἀδικοῦσι, ἀλλὰ πῖς ἀδικυμένοις δέδοται ὡφελεῖ τὸ νόμυ. Ita de homicida cautum est, *Exodi cap. 21.* ἐὰν πς ὑπ ἔθηται τῷ πλησίον ἀποκτεῖναι αὐτὸν δόλῳ, καὶ καταφύγῃ ὑπὸ

τὸ θυσιαστήριον, ἀπὸ τῦ θυσιαστηρίυ λήψη αὐτὸν, θανατῶσαι.

Ne Clerici vel Monachis negotijs ſæcularibus ſe immiſceant. Tit. 50.

IN conſtitutionibus Apoſtolorum, *can.* 6. prohibentur Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, κοσμικὰς φροντίδας ἀναλαμβάνειν. Iidem *canon.* 83. vetantur, στρατείᾳ χολάζειν ἢ καλέχαν ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν. Hoc ita, vt in quiete conſiſtant, & miniſterio ſuo impenſiùs vacent, ἐξω συσχύσεως καὶ θορύβου δημόδυς. Idem agitur hoc titulo, vt non liceat Clericis vel Monachis, ſæcularibus negotijs ſe immiſcere: & quemadmodum ſæculi militibus non conceditur procurationem alienorum negotiorum ſuſcipere, & poſſeſſiones condu-

cere, ne à ſiguis ſuis auocentur, *l. mdites. Cod. de locato* : ita clericis id non indulgetur, pœna etiam in eos conſtituta, qui rationes ſuas ab his tractari permiſerint, vt ſi reliquati ſint Clerici, in eos actionem non habeant. *cap.* 2. quod idem iure ciuili in his qui militem rerum ſuarũ procuratorem reliquerint. *l. fin. C. de locato.* Vetantur etiam nomine ſæcularium poteſtatum & principum ius dicere & cauſis capitalibus intereſſe, *cap.* 4. §. 9. Rectè in hanc ſententiam Iuſtinus *l.* 23. *conſulta. Cod. de teſtim.* Clericis opprobrium eſt, ſi velint oſtendere ſe peritos diſceptationum forenſium : & *l.* 17. *placet. Cod. de epiſc.* & *cleric.* conſtituitur vt nihil cum publicis actionibus commune habeant. Monachis id quoque interdicitur, ne ex clauſtris exeant, quò diſciplinis mundanis, Phyſicæ, Medicinæ,

iuris ciuilis prudentiæ dent operam, *cap. 3. & vlt.* Vtrique verò & Clerici & Monachi negotiari prohibentur. *cap. 6. hoc tit. capit. vlt. sup. de vita & hon. cler.* De Clericis id pridem cauerat Valentin. *IN. de Episc. iud.* Ante Valentinianum iisdem illud licuerat, *l. 8. C. Th. de Episc. & Cler.* ea tamen conditione, vt quæstus, qui necessarijs alimentis superarent, pauperum commodis cederent, *l. 10. eod. tit. Cod. Et l. 2. C. Iustin. eod. tit.*

PARATITLA IN LIBRVM QVARTVM decretalium Gregorij IX. Papæ.

De sponſalibus & matrimonijs. Tit. I.

QVONIAM libro ſuperiore, huius cõpilationis, ſiue collectionis auctor peregit tractatum de cõtractibus quibuſdam; id ſupereſſe videbatur, vt de illo ageret, quem Iuſtinianus N. 22. *in pr.* vocat κεφάλαιον τῶν γαμικῶν, ni-

mirum de contractu matrimonij, cuius tractatum hic liber quartus absoluit, docétque quo iure constari vel distrahi debeat, quid illud præcedere oporteat, quid subsequi, quæ constituant, quæ confirment. Est autem titulus hic primus, veluti clauis eorum, quæ fusiùs deinde vno quoque titulo explicantur. Matrimonium originem habet à iure naturali; propter titus deinde & solennia quædam, factum est, vt iuri ciuili adscriberetur. Hodie magis est iuris diuini, quàm aut naturalis aut ciuilis: qua ratione & Sacramentum dicitur, *cap.* 1. *infr. de sponsa duorum. capit.* 7. *infr. de diuort. cap.* 9. *in pr. infr. de hæret.* Ex iure ciuili, *in cap. illud. sup. de præsumpt.* ita definitur, vt sit maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Illud verò constituit consensus,

ſiue, vt ait Iuſtin. *Nouell.18.cap.4.* ἀμοιβαία διάθεσις. quod nunc perinde verum non eſt: nuptias enim & legitimum matrimonium, ſolus conſenſus non facit, niſi εὐλογία, ſiue benedictio accedat, & ea quæ ex inſtituto Eccleſiæ deſiderantur. *can.* 1.30. *qu.* 5. Ita Harmenop. rectiſſimè *lib.* 4. *tit.*4.§.21. σήμερον ὁ ψιλῇ συναινέσει ὁ γάμος συνίσταται, ἀλλὰ εἰ μὴ ἱερολόγοις τοῖς, ὅτε γάμος συνίσταται, ὅτε κωλύονται οἱ συναλλάσσοντες ἀπ' ἀλλήλων χωρίζεσθαι. Ea collectione, ſeparari debent hæc duo, ſponſalia & matrimonium. Sponſalia aditum præparant ad nuptias, & definiuntur futurarum nuptiarum repromiſſio. His matrimonium inchoatur, non perficitur. Sunt tamen, iure horum librorũ, ſponſalia quædam, quæ vocantur de

Digitized by Google

præsenti, quę propè ad ius & vim matrimonij accedunt, & ideo nullius etiam, iustæ alioqui allegationis obtentu diuelli possunt, *cap. 9. & pen. hoc tit. capit. 6. infr. de eo qui cogn. consang. vx.* At sponsalia eiusmodi, consulta ratione constitutio Blœsēsis, §. 44. prohibuit, quòd captionem in se habere viderentur, dum his qui ætatis lubrico, aut præcipiti animi iudicio & festinatione, eiusmodi stipulatione se adstrixissent, & indignas fortè genere suo conditiones elegissent, non licebat vllo modo propter verborum solennia à conuentione recedere. Sponsalium quæ per verba de futuro contracta sunt, non ita firmum & strictū est vinculum, nisi post fidem præstitam concubitus secutus sit : & hæc itaque soluuntur per sponsalia de præsenti, *d. cap. pen.* Soluuntur etiā mutuo dissensu, quamuis

rectiùs facere dicantur, qui his se repromissionibus obligauerint, si monitis Ecclesiæ, & fidei inuicem datæ acquiescant. *cap.* 2. & 17. Interdum ecclesiastica censura compelluntur semel placitis coniugij cõditionibus stare, quæ iureiurando firmatæ fuerint, *cap.* 10. Sed & si iusiurandum non interceſſerit, nec legitima causa obtendatur, quæ à principio contrahentes fugerit, cogi possunt: alioqui lusorium esset coram iudice ecclesiastico de fœdere matrimonij disceptare, si nulla contumaces pœna coerceret: itaque vix est vt appellantes tanquam ab abusu Senatus audiat, si querantur interdictam sibi fidelium communionem, quòd noluerint ecclesiæ monitis parere. In foro sæculari contra eum qui destituit promissionis suæ fidem, datur actio, cuius potestate qui iuri dicundo præest, litem pecunia æsti-

mat quanti interfuerit matrimonium contrahi: & ita quodammodo reuocata est actio ex spõsu, quæ contra eum ex contrahentibus dabatur, per quem stetisset, quo minus post stipulationes vtrinque factas nuptiæ celebrarẽtur, vt A. Gellius auctor est *lib. 4. noct. Attic. cap. 4.* Ius ciuile, si arrhæ datæ sint, amitti eas; si acceptæ, duplicatas restitui iubet *l. 3. & vlt. C. de sponsal.* Olim sponsa per quam steterat, non duplum, sed arrharum quadruplum restituebat, *l. 6. Cod. Th. eod. tit. l. vn. C. Th. si rector prou.* Tribunianus ex *d. l. vn. in C. Iustinian. eod. tit.* sustulit quadrupli mentionem, quia id immutatũ erat. Cùm autẽ ex neutra parte datæ essent, vel acceptæ arrhæ sponsalitiæ; non prodijt vllam pœnam ei irrogari, qui à placitis desciuisset: & ita in *l. 2. §. vlt. ff. de diuort.* dum de modo dirimendorum

ſponſaliorum agitur, de pœna reticetur. Id etiam probat manifeſtè *l. 2. Cod. de repud.* hoc ideo, quòd non crediderint matrimonia adſtringẽda vllius pœnæ vinculo, ideóque hac de re ſtipulationes interpoſitæ nullius ſunt momenti. *l. 134. Titia. ff. de verb. obl.* quod & conſtituitur *capit. 29. hoc tit.* Eadem ratione, cùm matrimonij affectus liber omnino eſſe debeat, & dominationis ſit impatiẽs; vis ab eo omnis abeſſe debet, & ſponſalia quæ metu ſunt extorta, nullius momẽti ſunt, *cap. 13. 14. 15. 18.* dummodo ea ſit vis quæ obeſſe debeat: neque enim vis omnis matrimoniũ impedit; maximè ſi conſenſus ex his quæ poſtea ſecuta ſunt arguatur, *cap. 6. & 21. hoc tit. cap. 6. & 9. tit. ſeq. cap. 4. infr. qui matr. accuſ. poſſ.* In hanc rem eſt elegãs ſpecies propoſita *in l. 22. ſi patre. ff. de ritu nupt.*

De desponsatione impuberum, Tit. 2.

SEcundus hic titulus est de desponsatione impuberum: additum non est (& matrimonijs) vt tit. superiori, quia inter impuberes non sunt nuptiæ. Puer contrahẽdo matrimonio aptus non est. *capit. 2. infr. de frig. & malef.* Non item puella quæ pubertatis annos non attigit, quæ nondum viripotens est, quæ denique adhuc est ἄχαρις: quo nomine Sappho intelligebat πρὶν ὕπω γάμου ἔχουσαν ὥραν, vt testatur Plutarchus ἐν ἐρωτικῷ. Ita eleganter Zozimus *lib. 5. historiæ suæ*, παρθένων φθορὰ λέγεται, ὃ μόνον πορνεία, ἐνίοτε δὲ καὶ πρὸ καιροῦ ἔκδοσις, ὅταν ὡς εἰπεῖν, ἄωρος ἐκδοθῇ τῷ ἀνδρί. Ætas legitima iure ciuili & isto nuptijs contrahendis præ-

finita eſt annorum duodecim in fœminis, quatuordecim in maſculis, quæ & ætas pubertatis dicitur. Caſſiani auctore Vlpiano *in fragm. tit. de tut. §. vlt.* pubertatem non annis æſtimabant, ſed habitu corporis, eo ſcilicet, quem vigoris veſtigia, vultus etiam, robur & totius corporis iuſta & cõcinna cõpoſitio oſtẽderet; quam ſententiam admittere videtur Iſidorus, *cap. 3. hoc tit.* Priſcus non minùs rectè *apud eundem Vlpianum d. l.* velut vtriuſque ſententiæ arbiter, ad pubertatem voluit vtrumque cõcurrere, & corporis χῆμα ſiue καπάτιαν, & annos etiam: quod naturali rationi & ciuili honeſtati cõuenit maximè. Magis tamen ad annos refertur, vt poſt præſcriptam ætatem coniungi vir & mulier non vetentur, antè prohibeantur. Inter principes & familias illuſtres com-

ponendæ pacis gratia, quia plurimùm matrimonij fœdere ciuilibus ſeditionibus conſternati animi reconciliari ſolent, admittitur vt qui ſunt pubertati proximi in matrimonium cõuenire poſſint. *cap.* 2. *hoc tit.* Licèt autem id aliàs paſſim obtinet, vt ante annos pubertatis matrimonium contrahere non liceat: ſponſalia tamen fieri poſſunt inter eos, qui non ſunt minores ſeptem annis. *l.* 14. *in ſponſalibus. ff. de ſponſal.* & eiuſmodi ſponſalia inducunt iuſtitiam publicæ honeſtatis, quæ vetat poſtea connubium conſiſtere inter ſponſam, & conſanguineos ſponſi, vel inter ſponſum & conſanguineos ſponſæ, *cap.* 8. *tit. ſuper.* His etiam illud efficitur, ne alterutri eorum, qui ſponſalia contraxerunt, liceat à conuentione recedere, antequam vterque pubertatis

annos attigerit. *cap. 7. & 8. hoc tit.* Sponſalia verò quæ ante ſeptem annorum ætatem cõtracta ſunt, nullius omnino momenti ſunt. *N. Leonis* 109. ídque tradit etiam Yuo Carnotenſis *ep.* 99. *& ep.* 243. Ex his quoque nulla contrahitur affinitas, *cap. 4. hoc titul.* quod & continetur, N. Patriarcharum Siſinnij & Xiphilini apud Harmenop. *lib. 4. tit. 6* §. 29. Poſſint tamen ea interdum conualeſcere quaſi ex nouo conſenſu, ſi ſponſus vel ſponſa ſeptimum annum poſtea compleuerint: & ſeptennio demum exacto, oritur affinitas, perinde ac ſi ab initio intra annos legitimos facta eſſent. *cap. 5. & 12. hoc tit.*

De clandestina desponsatione. Tit. 3.

DEsponsationis nomen latiùs hîc sumitur, vt nuptias etiam significet, non solam futurarum nuptiarum repromissionem. Clandestina desponsatío siue matrimonium est, quod nullo arbitro, nullis testibus factum est, quódque non conciliauit Ecclesia benedictione & solennibus aliis adhibitis. Eiusmodi furtiuæ nuptiæ prohibitæ sunt omnino, vt constat ex lib. 7. Capitul. Caroli magni, *ca.* 127. Tertul. lib. de pudicitia : *Penes nos occultæ coniunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ, iuxtæ mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Has interdum comprobat Ecclesia, ratásque habet, si coniuges erratum fateantur, & agnoscant, nec aliud impedimen-

pedimentum ſubſit, quod conſtare eas vetet. *cap. 2. hoc tit. cap. 9. §. qui fil. ſint legit.* Si de ſponſalibus, id eſt, de repromiſſione futurarum nuptiarum, quæ clam facta eſt, quæratur an facta ſit; admitti probatio poteſt, vt ei incumbat probandi neceſſitas, qui agit, *cap.* 1. Ex conſtitutione Molinenſi, forte ſcripro tantùm, non teſtibus, eiuſmodi repromiſſiones probari debent. Ea enim conſtitutio, teſtibus, eius conuentionis fidem fieri prohibet, quæ centum librarum ſummam excedit. Sententiâ vero conſtitutionis poteſt matrimonij contractus contineri, cùm dignitate ſui facilè pretium omne vincat. Obtinet nihilominus ex Senatuſconſultis earum probationem teſtiũ interuentu fieri poſſe, ſi allegetur factas eſſe eiuſmodi repromiſſiones coram cognatis & parentibus eorum qui fidem futurarum

nuptiarum dediſſe dicuntur. Aliàs, non temere admitti debent qui dicant ſe fama aut rumore aliquo audiuiſſe, vel ab alterutra ex partibus accepiſſe ea de re conuentionem aliquam aut pactionem interceſſiſſe. Vt autem clandeſtinis matrimonijs obuiam iretur, conſultè inductum fuit, vt banna, id eſt, edicta ſolennia, & denuntiationes publicè promulgarentur; ita vt nec iuſtum ſit matrimonium, quod his careat, nec liberi ex eo legitimi ſint, & Sacerdotes etiam puniantur multa canonica, qui paſſi fuerint eiuſmodi matrimonia celebrari, *cap. 3. hoc tit.* Quòd ad edicta illa, id primùm in Francia obtinuerat, vt conſtat ex cap. 7. §. *de ſponſal. & cap. vlt. §. qui matrim. accuſ. poſſunt.* idem poſt ea ipſis Franciæ legibus, id eſt, Chriſtianorum principum conſtitutionibus ſancitum eſt.

Digitized by Google

De ſponſa duorum.
Tit. 4.

NOn minus titulus hic eſt de ſponſo duarum, quàm de ſponſa duorum. Iure ciuili qui ſuo nomine eodem tempore bina ſponſali, binásve nuptias conſtitutas habuerit, infamis ſit, *l. 1. §. vlt. ff. de his qui not. infam.* & ita quidem ſi conditioni priori non renuntiauerit, nam id licuit omnimodo, *l. 1. C. de ſponſal.* & quidem impunè, ſi arrhæ datæ non eſſent, vel acceptæ, vt conſtitit ſ. *tit. 1. huius libri.* Hoc iure non perinde licet recedere, maximè cùm ſponſalia facta ſunt per verba de præſenti. Ea igitur quæ eo genere ſponſaliorum fidem ſuam adſtrinxit, ſi alterius nuptias ſortita fuerit, ad primum redire cogitur, quantumcunque poſterius matrimonium ſuis a-

lioqui viribus conſtet, & ſolennia omnia fuerint adimpleta. *cap.* 2. *&* 3. In ſponſo idem eſt, vt ei, cui fidem conſenſus dedit, reſtituendus ſit, inſuper habito matrimonio, quod poſtea contraxit, *cap.* 1. *& vlt.* Fidem conſenſus, accipe ſponſalia per verba de præſenti, quæ præſentem habent conſenſum, & efficiunt ne liceat omnino diuertere. In ſponſalibus de futuro, quæ continent tantùm fidem pactionis, id eſt, repromiſſionis futuri matrimonij, non tanta obſeruatio eſt: hæc enim ſoluuntur per poſteriora, quæ ſunt de præſenti: indicta tamen pœnitentia, quò is qui ſine conſenſu alterius à placitis receſſit, violatæ fidei & periurij reatum diluat, *d. cap.* 1. *hoc tit. cap.* 22. *& pen.* §. *de ſponſal.*

De Conditionibus appositis in desponsatione, vel alijs contractibus. Tit. 5.

IPse huius rubricæ contextus docet hîc non agi tantùm de conditionibus quæ contractu matrimonij, siue sponsalibus adijciuntur, sed de hîs etiam, quæ contractibus alijs accedunt. Vt quamlibet in contrahendo legem dicere licet, ita cùm dicta est seruari eam oportet, *cap.* 2. & 4. In contractu matrimonij indiscriminatim, id non obtinet: vbi enim sponsalia præsenti consensu firmata sunt, conditio quælibet ijs adiecta circumscribitur. *cap.* 1. Ideo conditione dandi non impleta, nihilominus coniugium constare ait Yuo Episcopus Carnotensis *ep.* 183. Excipitur illa, si negotium omne conferatur in parentum arbitrium: hac

enim conditione ſponſalia, quæ fidem conſenſus continent, ſuſpenduntur, pendéntque ex euentu. *cap.* 5. Ea verò quæ in futurum concepta ſunt, rectè diſſoluuntur ſi conditioni non ſit paritum, niſi ea ſecuta ſint quæ arguant à conditione initio dicta partes receſſiſſe. *cap.* 3. *& pen.* nec enim aliqui hanc legem ſibi dicere poſſunt, vt à priore voluntate diſcedere non valeant. *l.* 22. *ſi quis. ff. de leg.* 3. Igitur vt in legatis nouiſſimæ voluntates valent, *l.* 12. *ſi mihi. §. vlt. ff. de leg.* 1. ita in matrimonio voluntas vltima præualere debet.

Qui Clerici vel vouentes matrimonium contrahere poſſint. Tit. 6.

MAtrimonij edictum prohibitorium eſt, *cap.* 23. *ſup. de ſponſal.* Eo id continetur, vt qui-

uis possit ad illud aspirare, seposítis illis tantùm, qui specialiter prohibentur: quod in edictis prohibitoriis est perpetuum, vt hi demum arceantur, qui nominatim excluduntur, *l.* 43. *mutus.* §. 1. *ff. de procurat.* Hic titulus de his est maximè, qui prohibentur nuptias celebrare. Vetantur Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi; hi sunt in sacris & maioribus ordinibus constituti. Non vetantur Cantores, Psaltæ, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij; hi minores tantùm ordines dicuntur adepti. Qui votum religionis monasticæ, & perpetuæ castitatis emiserùt, matrimonium quoque contrahere prohibentur: verùm inter eos est etiam aliqua distinctio. Votum solenne impedit matrimonium cõtrahendum, & illud etiam rescindit si contractum sit. *cap.* 3. *& fin.* Votum simplex obest quo minus contraha-

tur; non reſcindit tamen quod contractum eſt. *cap.* 4. 5. *& pen.* Votum ſolenne, quantum ad hanc rem pertinet, illud dicitur, quod conſtituunt ſacri ordines adepti, aut profeſſio vitæ regularis ſolenniter facta, cuique benedictio conſecrationis acceſſit. *can. pen. in fi.* 27. *diſt. cap. vn. de voto & vo. redempt. in* 6. Qui autem animi deſtinatione quadam, propoſitum vitæ regularis aſſumunt, nec monaſterium aut aſceterium ingrediuntur, nec ſchema ſiue habitum religionis ſuſcipiunt, neque poſt tempus probationis ſolenni profeſſione ſe adſtrinxerunt, ſimplex votum emiſiſſe dicuntur. *d. cap.* 3. 4. 5. *hoc tit. cap. pen. J. de frigid. & malef.*

De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Tit. 7.

ID quæritur modò, an quis possit iure eam ducere, vel ductam retinere, cum qua (legitima vxore viuente) adulterij consuetudinem habuerit: & constituitur posse, si non hi, qui adulterij crimen admiserunt, insidias struxerint vitæ prioris coniugis, vel eadem viuente fidem dederint matrimonij contrahendi, cùm ea è viuis abierit, *cap.* 1. 3. 4. 6. *& vlt.* Idem cauetur *in can. si quis viuente.* 31. *qu.* 1. de muliere quæ viro viuente adulterio se maculauit, & eo demum mortuo, adultero nupsit. Liberi verò antea ex adulterio susceptι per subsequens eiusmodi matrimonium legitimi non fiunt. *cap.* 6. ℸ. *qui fil. sint legit.* At eiusmodi consortia, quæ ab

illicitis cœperunt, non probat omnino Yuo Carnot. Epiſc. *ep.* 170. Non probauere etiam antiqui canones, vt conſtat ex can. 1. *d. cauſa & qu. & cap. 5. hoc tit.* Cùm autem is qui prioris matrimonij nexibus alligatus eſt, aliam vxorem eius rei ignaram & inſciam duxit; propter ſinceram fidem, & iuſtum ſecundæ vxoris errorem ſuſtinentur vires matrimonij: ſi quæ primum ducta erat è viuis abierit, *d. cap.* 1. *& cap. pen.* Iure ciuili id generaliter obtinet ne liceat vno eodémque tempore in diuerſa coniugia conuenire; quod nec Iudæis ipſis permittitur, *l.* 7. *C. de Iud.* Eos verò qui ſecus egerint, comitatur infamia. *l.* 18. *C. ad l. Iul. de adult.* Eoſdem capitali pœna adfici Theoph. autor eſt *in Græca paraphraſi Inſtit. tit. de nupt.* §. 6. *&* 7. quod & hodie in vſu eſt. Rectè autem Phocylides in eam ſententiam.

μηδὲ γάμῳ γάμον ἄλλον ἄγῃς,
ὅτι πῆμα πῆμα.

De Coniugio leprosorum. Tit. 8.

ILlud etiam in quæstionem venit, si ex coniugibus alter laborare cœperit morbo scabræ vitiliginis, quæ Græcis ψώρα, siue ἐλεφαντίασις dicitur, an iura matrimonij dirimantur: dirimi non debere cauetur *hoc tit. cap.* 1. & 2. Id eam rationem habet, quòd humanæ societati nihil conueniat magis, quàm vt maritus fortuitis casibus vxoris, vel vxor mariti sit particeps, vt rectè I. C. ait *in l.* 22. *si cùm dotem. §. si maritus ff. soluto matrim. Ita in l.* 1. *C. de repud.* eius mulieris propositum laudatur, quæ propter casum aduersum, in quem maritus incidit, non mutat vxoris affe-

ctionem. Quòd vero ad ſponſalia, ſiue futurarum nuptiarum repromiſſionem, ſoluuntur irrepente hoc morbo, *cap. vlt.* quod & in alijs caſibus obtinet, vt impediant multa matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. *cap.* 25. s̃. *de iureiur.* Sic apud Paulum *lib.* 2. *ſent. tit.* 19. patria poteſtas impedimento eſt, quo minùs nuptiæ legitimæ ſint, quas filiusfam. vel filiafam. ſine conſenſu patris contraxerit: contractæ tamen ſuſtinentur contemplatione publicæ vtilitatis. Furor etiam ſuperueniens coniugium non dirimit. *l.* 7. *patre. ff. de his qui ſunt ſui vel al. in l.* 16. *oratione. §. vlt. ff. de rit. nupt.* Poſterioribus quoque conſtitutionibus inductum eſt, ne deportatio, vel aquæ & ignis interdictio, aut in metallum damnatio matrimonium reſcinderet. *l.* 24. *res vxoris. C. de donat. inter vi. & vx. N.* 22.

περὶ δευτερογαμούντων, *cap.* 8. & 13. Quòd ad furorem, qui incidit poſt matrimonium, N. Leonis III. & 112. cautum eſt vt ſi vir vel vxor furore correpti fuerint, poſt tres annos viro, poſt quinque mulieri liceat ad alia vota tranſire; ídque tradit etiam Harmenop. *lib.* 4. περὶ χείρ.

De Coniugio ſeruorum.
Tit. 19.

SVperior titulus fuit de vitio corporis; hic verò eſt de vitio ſtatus ſiue conditionis, quòd quis ſeruus ſit: & licèt quidem ius ciuile non admittat ſeruos habere ius connubij, iure tamen iſto inter eos matrimonium conſtat, quia Eccleſia perſonarum delectum non habet. *cap.* 1. Cùm verò inter perſonas non eiuſdem conditionis res acta eſt, & aliquis cum ea contraxerit, quam puta-

bat esse liberam; aut cum eo mulier, quem liberum esse credebat; errore perspecto poterit illa virum, hic vxorem dimittere, nisi post errorem nouus consensus redintegrauerit matrimonium. *cap.* 2. *& vlt.* Hoc ideo, quia nullus est consensus eorum, qui errant. Hinc Iustin. *N.* 22. *cap.* 10. ὁ φήσομεν λύεσθαι τὸν γάμον, ἀλλ' αὐτὸ, ὃ ἀρχὴν οὐδὲ γάμον ἦν, καθάπερ καὶ πᾶσαν τῆς περὶ τὸ πρᾶγμα ἀνισότητος. His qui gnari ab initio fuerunt non succurritur. *cap.* 11. §. *de præsumpt. cap.* 18. *lib.* 5. *Capit. Caroli magni*, *& cap.* 94. *lib.* 6. Seruitus autem quæ post matrimonium contigerit, fortè propterea quòd aut libertus aut eius filius ingrati exstiterint aduersum patronum, soluit matrimonium, *d. N.* 22. *cap.* 9. quod vix ius istud admiserit, quo illud quod semel rite contractum est, &

perfectum omnino, ad irritum non recidit.

De natis ex libero ventre.
Tit. 10.

REgula iuris ciuilis hæc est, vt partus ventrem sequatur. *l. partus. C. de rei vindic.* Rationi igitur consentaneum est, vt qui ex matre libera, patre seruo natus est, liber sit; quod hic titulus docet, & cauetur etiam *cap. fin. §. de seruis non ordin.* Fit aliquando vt partus sequatur patris conditionem, pro consuetudine regionis, *cap. pen. tit. superiori.* Cùm autem legitimæ nuptiæ sunt, id est, ingenuus & ingenua secundum leges ciuitatis in matrimonium conueniunt, liberi patrem sequuntur, *l. 19. cùm legitimæ. ff. de statu hom.*

De Cognatione ſpirituali.
Tit. II.

MAxima cognationis ſpiritualis ratio habetur, quo matrimonium interdicatur. Ea oritur ex baptiſmo inter ſuſceptorem & ſuſceptricem, eorúmque ſobolem, & ſuſceptum eiúſque patrem & matrem: dicitúrque contrahi θεοὺς μεσάζοντας, vt inquit Harmenop. *lib.* 4. *Epitom. cap.* 6. Suſceptores, ſunt ὑποφωνηταὶ, ἀναδοχεῖς, ἐγγυηταί. Patrini & fideiuſſores vocantur, *lib.* 2. *Capitul. Caroli magni, cap. pen. lib.* 6. *cap.* 179. *& addit.* 2. *cap.* 1. Hoc ideo, quia fidem ſuam dant, ſpondent, expromittúntque eorum nomine, qui aquis baptiſmalibus tinguntur: quod non obſcurè tradit D. Auguſtinus *in can. vos ante omnia. diſt.* 4. Vno tantùm caſu prodijt iure ciuili cogna-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

cognationem hanc impedimento nuptijs esse, videlicet, vt cuiquam non liceat eam ducere quam à sacro lauacro susceperit. *l. 26. si quis alumnam. C. de nupt.* Ius verò canonum, in multas & longas ambages, cognationem illam produxit, & ferè ad superstitionem vsque. Veritum est itaque matrimonium consistere inter filiam susceptoris & susceptum; & rursus inter eiusdem filium & susceptam; ita vt etiam si contractum fuerit, dirimatur. *cap. 13. pen. hoc tit. cap. 1. §. qui matrim. accus. post.* Ea etiam cognatio impedimento est, quo minus vxor susceptoris, mortuo marito, in matrimonium iure possit conuenire cum patre naturali susceptj, *cap. 4.* Ita inter patrem susceptj & susceptricem, siue matrinam interdicuntur nuptiæ, *cap. 6.* Olim etiam matrimonium quod constiterat, diremptum fuit, si p.ter

vel mater ex fonte baptiſmatis, filium proprium ſuſcepiſſent quocumque caſu *can.* 1. 30. *qu.* 1. & ita dimittendæ vxoris legitimæ cauſa ea fuit Chilperico Regi Franciæ, vt Annales noſtri docent, quòd filiam ſuam amicitiæ coniugalis commune pignus, ex ſac o fonte illa leuaſſet. Noluere tamen poſteriores canones eo prætextu coniugium rectè contractum ad irritum recidere. *cap.* 2. *hoc tit.* Eius tituli longior quæſtio eſt, quàm vt breui verborum compendio poſſit comprehendi: ea itaque quaſi indice digito tetigiſſe ſufficiat. Illud tamen notandum eſt cognationis eius poteſtatem nouiſſimè Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *decreti. de reform. matrim.* remotis veteris iuris ambagibus, ad certos caſus & terminos coarctatam eſſe, quod ea in re vim ſuam obtinet.

De Cognatione legati.
Tit. 12.

GEnus aliud cognationis hoc titulo proponitur, quod totum à lege est. Illud constituitur per adoptionem, *l.* 1. §. *per adoptionem. ff. vnde cognati.* quæ est actus legitimus, quo liberi qui ad patris adoptiui familiam transeunt, iura cognationis acquirunt. Ita non malè *in l.* 13. *non epistolis. C. de probat.* dicitur necessitatem cõsanguinitatis natalibus, vel adoptionis solennitate coniungi. Igitur caput vn. huius tit. ex præscripto iuris ciuilis, non vult inter eum qui in sacris patris est, & eam quæ per adoptionem soror esse cœpit, nuptias esse legitimas, quandiu adoptio durat, propter iuris ciuilis vinculum, quod ipsum cognationis naturalis fœdus pro-

ximè imitatur. Quod adiectum est [quandiu adoptio durat] id significat, quandiu vterque in eiusdem patris potestate est: Nam siue filium naturalem, siue eam quam sibi per adoptionem filiam constituit, pater emancipatione legitima è manu sua miserit, cessante iuris impedimento coniungi matrimonio possunt, quia fratres esse desinunt, §. *inter eas. vers. sed si qua. de nuptijs. apud Iustin. l.*17. *ff. de ritu nupt.* Non ita de his qui per adoptionem parentum, vel liberorum loco fuerunt: nam nec adoptione soluta, in memoriam prioris necessitudinis rectè nuptias contrahunt. §. *& hæc adeò. d. tit. apud Iust. & l.*14. *ff. de ritu nupt.* Magis scilicet contra honestatem est, vt quæ filiæ loco fuit, nunc sit vxor, quàm quæ soror ex adoptione fuit, fratri vxor sit. Adeò autem interdictæ sunt nuptiæ dum

constat adoptio, vt quamuis non sit perpetua causa prohibitionis, inter eos qui fratris aut sororis loco sunt, tamen repromissio futurarum nuptiarum inter eiusmodi personas fieri non possit, quia scilicet statim contra bonos mores stipulatio sit, *l. 35. si stipuler. §. 1. ff. de verb. obl.*

De eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ vel sponsæ. Tit. 13.

EA etiam ratione matrimonium non constat, & eius etiam spes omnis dirimi debet; si ante sponsalia, sponsæ consanguineam sponsus vaga venere cognouerit, aut sponsa à sponsi consanguineo fuerit subacta, quia etiam ex illegitima coniunctione oritur affinitas. *cap. 12. §. de sponsal. cap. 3. 5. 7. 9. hoc tit.* Cùm verò post sponsalia ea res incidit,

ſiquidem contracta fuerint per verba de futuro, ſoluuntur. *cap.* 2. *hoc tit. cap.* 2. *tit. ſeq.* Si per verba de præſenti; affinitas ſuperueniens eâ non diſſoluit, *cap.* 9. Ita ſi poſt matrimonium contractum maritus cum conſanguinea vxoris ſuæ inceſtu ſe maculauerit, remanent nihilominus iura matrimonij integra, quoad vxorem criminis & fraudis inſciam: marito verò pœnitentia indicitur, quò ſcelus & reatum diluat, vt etiam à nuptiarum fœdere ſe abſtineat, præterquam ſi vxor ius coniugij exigat. *cap.* 1. 4. *pen. & vlt.*

De Conſanguinitate & affinitate. Tit. 14.

COnſequens & proximum illud erat, titulum hunc generalem ſuperioribus adijci; vt illud pleniſſimè conſtaret, qui

conſanguinei aut adfines dicantur, aut quo gradu cognationis, vel affinitatis, nuptias contrahere ſit prohibitum. Conſanguinei ſiue cognati ij ſunt, qui generationis & originis idem principium & initium habent, inde appellati quaſi ex vno nati. *l.* 1. §. 1. *ff. unde cognati.* & inde *l.* 10 §. 1. *ff. de grad. affin* dicuntur πγϛενεῖς· quo ſenſu Porphyr. *de quinque vocibus*, γένος λέγεται ἐν ἑνὶ ζῳῶν, ἐχόντων πῶς πρὸς ἕν τι καὶ πρὸς ἀλλήλους, ἄθροισις. Igitur inter genere proximos vetitum eſt matrimonium contrahi: eáque cura, ne id fieret, pertinuit olim ad comitem priuatarum rationum, vt teſtatur Caſſiod. *lib.* 6. *var. in form. Comitiuæ priuatarum.* Inductum eſt illud maximè, vt reuerentia ſanguini vicino haberetur, vt ait idem Caſſiod. *eodem loco.* Adijcit D. Auguſtinus ratio-

nem aliam, *in can. cùm igitur. 35. qu.* 1. vt homines, quibus esset vtilis atque honesta concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vno haberet multas necessitudines, sed singulæ spargerentur in singulos. Non sunt autem in perpetuum prohibitæ nuptiæ inter coniunctas cognatione personas: ex veteribus regulis iuris istius, ad septimum vlque cognationis gradum inhibebantur, *can.* 1. *can. nullum. qu.* 2. & 3. Idque tradit Yuo Carnotensis Episcopus *in epistolis passim*, & continetur etiam *lib.* 6. *Capitul. Caroli magni*, *cap.* 80. 128. & 206. Nouissimè Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. constitutum est, vt prohibitio quartum gradum non excederet. *cap.* 47. §. *de testib. cap. pen. hoc tit.* Non is verò modus computandorum graduum iure isto, qui & iure

ciuili, in linea quæ est ex transuerso. Iure ciuili ex obliquo tot sunt gradus, quot personæ, & frater à fratre vel sorore distat duobus gradibus: ab vno enim ad patrem ascenditur, à patre deinde ad fratrem alterum, vel sororem descenditur, vt patet *in tit. de nupt. & tit. de grad. cogn. apud Iustin.* Ius verò Pontificium ex duobus vnum gradum efficit; frater itaque & soror sunt in primo gradu, & eorum filij in secundo, qui iure ciuili in quarto. Denique iure isto magis inspicitur, quot gradibus à stipite, id est, à communi parente distent personæ, de quarum coniunctione agitur, quàm quot gradibus inter se seiunctæ sint: hinc factum vt in hereditatibus deferendis locus sit ei computationi, quæ iure ciuili præscripta est, quia ab vna alteri personæ obueniunt: in nuptiis verò contra-

hendis is ſeruetur, quem canones præſtituunt, quia nuptiæ ſine duabus perſonis non fiunt. *can. ad ſedem. 35. qu. 5.* Adfinitatis quoque ratio impedimento nuptiis eſt. Ea ius eſt neceſſitudinis, quo deuincti inter ſe ſunt maritus, & cognati vxoris; & inuicem vxor, & cognati mariti: & ea ratione, altera cognatio ad alterius finem accedere dicitur. *l. 4. §. affines. ff. de grad. affin.* Affines Modeſtino dicuntur κατ' ὄπυιαμίαν οἰκεῖοι, *l. 2. ff. qui pet. tut. vel cur.* Cognati viri & cognati vxoris, ſibi inuicem affines non ſunt, & ideo non prohibentur matrimonio iungi. *cap. 5. hec tit.* Sunt verò tria affinitatis genera. Primo genere affinitatis cognati vxoris marito, & viciſſim cognati mariti vxori affines ſunt. Secundo genere, affines mariti ex alijs nuptiis, vxori ſecundæ ſunt affinium loco: &

retro affines vxoris ex aliis nuptiis, secundo marito sunt affinium loco. Ita *in l. 15. vxorem. ff. de ritu nupt.* nurus vxoris, marito est nurus loco; & gener mariti, vxori est generi loco: & inter eos etiam nuptiæ prohibentur Sunt item affines secundo genere, frater & vxor secunda mariti sororis suæ, soror & secundus maritus vxoris fratris sui. Tertium genus affinitatis constituitur adiecta persona alia: vt maritus & vxor secunda generi vxoris suæ; vel vxor & maritus secundus nurus mariti sui affines sunt tertio genere: Alio casu similiter. In secundo & tertio genere affinitatis prohibitæ olim fuêre nuptiæ, hoc iure, *can. & hic. 35. qu. 2.* Prohibitæ etiam fuere iure ciuili in secundo in specie d. l vxorem. hodie in primo tantùm genere prohibentur. Olim etiam soboles suscepta ex secundis nuptiis,

non poterat matrimonio iungi cognationi prioris viri vel vxoris: hodie insuper habita scrupulositate illa, nuptiæ eiusmodi consistunt, *d. cap. pen. hoc tit.* Gradus affinium iidem sunt qui consanguineorum: & ex quo gradu non potest quis aliquam ducere ex consanguineis suis, ex eodem gradu non potest ex consanguineis vxoris suæ. In quarto itaque affinitatis gradu subsistit nuptiarum prohibitio.

De frigidis & maleficiatis, & impotentia coëundi.

Tit. 15.

HÆc quoque causa est dirimendi matrimonij, si vir dicatur ea valetudine laborare, vt liberis operam dare, nec maritum fungi possit. Quia verò vitium illud temporale aliquando

est, vt ait Theoph. *tit. de adopt. §. 9.* & dicitur etiam *in l. 9. si quis. ff. de lib. & posth.* ideo certum tempus præstitutum est, intra quod probari possit, an perpetuum sit, an verò cessare possit. Iustinianus biennij tempus primùm indulsit, *l. pen. C. de repud.* Deinde *N. 22. cap. 6.* biennium illud ad triennium produxit: quod sequuntur iuris huius auctores, *cap. 5. & vlt. hoc tit.* In constitutionibus Caroli magni *lib. 9. capitul. capit. 55.* nullum eiusmodi tempus requiritur. Inde quoque in vsu est non exspectari triennium; sed simul atque constitit virum non esse parem nuptijs peragendis, matrimonij iura statim resoluuntur: & ita constituit Senatus Parisiensis sæpe perlatis ad eum appellationibus, tanquam ab abusu, à Iudicibus Ecclesiasticis, qui triennij moras indixerant. Illis autem qui vitio ἀδυναμίας laborant,

coniunguntur hoc tit. qui incantationibus ſiue carminibus magicis deuincti & obligati ſunt: hi enim maleficiatorum vocabulo continentur: vt malefici dicuntur qui præſtigiis illis dant operam. De his nulla quidem conſtitutio eſt hoc titulo: at proximum eſt dicere quod de illis cauetur ad eos quoque eſſe porrigendũ. Incantationes illæ vocantur defixiones, vt notat doctor maximus *lib.* 21. *obſ. cap.* 22. & *lib.* 27. *cap.* 17. Dicuntur & Veneris vincula Virgilio *ecloga* 8. Eodem ſenſu à Græcis vocantur καταδεσμοί· & ita Syneſ. *ep.* 121. tria illa coniungit, ἐπῳδὰς, καταδεσμοὺς, καὶ ἐρωτικὰς καταυάλκας. Prudẽtius in Hymno D. Cypriani:

Vnus erat iuuenum doctiſſimus, artibus ſiniſtris,
Fraude pudicitiam perſtringere, nil ſacrum putare:

Sæpe etiam magicum cantamen
inire per ſepulchra,
Quo geniale tori ius ſolueret, æſtu-
ante nupta.

His accedit cauſa alia diſtrahendi matrimonij, ſi ea quæ nupſit, ita arcta & obſtructa ſit, vt virum pati, vel admittere non poſſit. *cap.* 3. 4. *& pen.* De mulicre eiuſmodi edicto ædilium cauetur, quaſi ſana non ſit. *l. item quæritur.* 14. §. *mulierem. ff. de ædil. edicto.*

De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.
Tit. 16.

QVæritur hoc titulo, an matrimonium, quod contra Eccleſiæ interdictum celebratum eſt (pendente quæſtione aliqua præiudiciali de alio antè contracto) diſtrahi debeat: & quidem quantum ad ſtrictam iu-

ris rationem dirimi debet, ne lusoria videantur eiusmodi decreta. *can. videtur. 35. qu. 6. cap. pen. §. de sponsal. impub. cap. pen. de sponsa. du.* Redintegratur tamen facillimè, si nihil aliud obsistat, indicta eis pœnitentia, qui prohibitionem Ecclesiæ insuper habuerunt, *cap. 1. & 2. hoc tit. cap. 18. §. de sponsal. & matrim.*

Qui filij sunt legitimi.
Tit. 17.

VT initio ipso iure naturali, omnes homines liberi nascebantur; ita & legitimi. Verùm, vt ait Iustin. N. 84. *cap. 1.* δουλείαν πόλεμος ἔξω̃ρε, νοθείαν δὲ, σωφροσύνης ἔκπλωσις. Postquam itaque de his omnibus constitit, quæ matrimonium impediunt, vel contractum distrahunt; iam de liberis agitur, quia patri suo non

non aliter conſtituuntur heredes, quàm ſi legitimi, & ex iuſtis nuptiis nati ſint. Matrimonium legitimum iuſtos edit liberos: qui ex illegitima coniunctione naſcuntur, hos lex ciuilis ab hereditate paterna excludit; natura tantùm eos agnoſcit: vnde & naturales dicuntur. *can. vlt. 32. qu. 4.* Dicti etiam terræ filij, quaſi terram ſolam parentem habeant: qua de re poteſt accipi illud Homeri ὀδυσ. τ. vbi Penelope reducem maritum Vlyſſem alloquens, cùm ignoraret eum eſſe, gentem & genus ab eo ſciſcitatur:

ἀλλὰ ξὺ ὥς μοι εἰπὲ πόν γθός, ὁππόθεν ἐσσὶ,
ἠ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, ἠὲ ἀπὸ πέτρης.

Vt igitur iura legitimorum filij nanciſcantur, nuptias præcedere neceſſe eſt: ſed & ſi ſubſequantur, perinde legitimi, & parentibus

ſuis heredes ſunt, qui ante dotalia inſtrumenta & matrimonium contractum nati ſunt, ac ſi à principio connubium interceſſiſſet, *cap.* 1. *& 9. hoc tit. §. fin. de nupt. apud Iuſt. & §.* 1. *de hered. quæ ab inteſt. def. apud eundem.* Idem eſt ſi ex clandeſtino matrimonio, quod poſtea Eccleſia ratum habuit, liberi nati ſunt. *cap.* 9. Si item cauſa aliqua, affinitatis putà, vel cognationis interceſſerit, quæ matrimonium diremerit: liberi antè nati legitimi ſunt, ſi iuſta & probabilis parentum ignorantia oſtendatur, qui exiſtimauerint ſe rectè matrimonium contraxiſſe. *cap.* 2. Ex quo verò ſcientiam habuerint non conſiſtere matrimonium, liberi poſtea genitii non ſunt legitimi. *l.* 4. *C. de inceſt. nupt.* N. 12. *περὶ ἀδελφογαμίων. cap.* 3. Sufficit autem vnum ex coniugibus bona fide niti, quò ſtatus liberorum confirmetur, *l.* 57. *§. vlt.*

ff. de ritu nupt. cap. vlt. §. si quis verò. ff. de cland. desp. cap. pen. hoc tit. Ita Vlpianus *in fragmentis, tit. de iure don. inter vi. & vx.* tradit contracto per errorem matrimonio inter disparis conditionis personas, causa probata liberis subueniri, vt ipsis ius ciuitatis restitueretur, & in potestatem parentum redigerentur. Et omnino quoties dubia argumenta sunt, magis ad id, quod benignius est, accedendum est, vt scilicet integri status liberi maneant: nam vt ait Synes. ep. 1. ἄρχοι εἰσὶν ἐλευθερίας ἀεὶ πάντες νόμοι.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. Tit. 18.

HIc titulus est de accusationibus quæ instituuntur aduersus matrimonium, quòd nul-

lum sit, quòd in gradu cognationis prohibito contractum, quòd denique eam labem haheat, quæ illud non patiatur consistere. Denũtiatio fit, vt spes matrimonij impediatur: accusatio fit aduersus id quod contractum iam est, vt dirimatur. *cap. pen.* ẽ. *de despons. impub.* Quia autem facilius admittuntur denuntiationes ad impediendum matrimonium, quàm accusationes aduersus id quod contractum est, *cap.* 9. *&* 22. ẽ. *de testib.* ideo si pro recepto more, antequam matrimonij solennia peragantur, eius promulgatio facta fuerit; nullus postea admittitur, vt illud accuset, nisi iusta causa approbetur, cur is qui modò illud accusare & conuellere nititur, non potuerit promulgationis tẽpore aliquid proponere, quò minus destinatum exitum haberet. *cap. fin. hoc tit.* In ea verò accusatione proponenda, admit-

tuntur vt plurimùm parentes, & qui ex cognatione sunt. *can.* 1. & 2. 35. *qu.* 6. *cap.* 5. §. *de testib. cap.* 3 *hoc tit.* Qui autem testem cognationis citari se patitur, fidem testimonij facere ipse debet in iudicio; nec sufficit tabulas aut litteras testimonij proferre. *cap.* 2. Item de his quæ sibi constant, perspicuè deponere debet: vix enim iam testes admittuntur, qui dicant se accepisse à maioribus eos quorum matrimonium impetitur, cognationis aut affinitatis gradu prohibito se contingere. *cap.* 47. §. *de testib. cap.* 7. §. *de consanguin. & affin.* Non item legitimus testis est, aut accusator matrimonij, qui negotij facessendi gratiâ, quò pecuniam extorqueret, ad accusandum processit, vel paratum se dicit accepta pecunia ab accusatione desistere. *cap. pen.* Ea etiam admittenda non est, quæ sine querela aliquan-

diu cum marito morata, postea causatur se consensum nuptiis non præstitisse, & ob id matrimonium nullius esse momenti. *cap.* 4.

De diuortiis. Tit. 19.

ACcusationem si rectè perlata fuerit, sequitur sententia diuortii. At non idem semper eius est effectus. Interdum penitus matrimonium rescindit, aut nullum vel non legitimè factum declarat: & tunc qui discedunt, possunt ad alia vota transire; veluti si ex causa affinitatis sit diremptum. *cap.* 13. s. *de sponsal.* Item si propter vxoris aut mariti vitium, secuto diuortio, qui morbo aut valetudine vacat, potest alias repetere nuptias, *cap.* 1. 3. *& pen. &* s. *de frigid. & malef.* Vbi verò semel iure constitit matrimonium, & effectum suum consecutum est;

iam nulla causa est, quæ possit illud diducere: itaque si in adulterii reatum alteruter inciderit; si insidiæ paratæ dicántur vitæ alterutrius: separari quidem possunt, & diuortij sententia fertur: at is etiam, qui sine culpa est, viuente altero, non potest ad alia vota transire. *cap.* 1. §. *vt lite non contest. cap.* 9. §. *de sponsal. cap.* 1. & 4. *hoc tit.* Idem est si ex coniugibus alter in hæresim lábatur, vel ad ritus Gentilium se conferat. *cap.* 7. Cùm autem ex his vnus ab idololatria ad fidem conuersus est; nolente altero cum eo permanere, potest is, qui conuersus est, coniugium aliud sortiri. *can. si infidelis. cum seq.* 28. *qu.* 1. *d. cap.* 7. *hoc tit.* Iure ciuili omnimodo licet vtriusque consensu, & bona gratia diuertere. *N.* 22. *cap.* 4. & *N.* 140. Verùm id in Ecclesia nusquam receptum est: itaque quod obtinuit olim, specialiter matri-

monium Flaminis nisi morte dirimi ius non esse, vt A. Gellius auctor est, *lib.* 10. *cap.* 15. id nunc generaliter locum habet in omnibus.

De donationibus inter virum & vxorem, & date post diuortium restituenda.

Tit. 20.

DIuortium sequitur repetitio dotis, si ex licita causa intercesserit. *cap.* 1. 2. 3. Si propter adulterium, dotis detrimento multatur mulier: idémque obseruatur si ex causa iniusta à viro discesserit. *cap.* 4. *l. vlt. C. ad l. Iul. de adult.* Sed & vir pariter, si sine legitima causa vxorem suam dimisisset, poterat conueniri actione iniusti repudij, vt tradit Quintil. *decl.* 368. Quin & iure ciuili si diuortio causam præbuerit, aut re-

mere repudium vxori miſerit, iniuriam mulieri factam ſarcire cogitur iactura donationis ante nuptias. *l. 8. conſenſu. C. de repud. N.* 22. *cap.* 15. Retinuit dicta lex nomen antiquum : hæc enim donatio poſtea à Iuſtiniano dicta eſt donatio propter nuptias. §. *ſed nos. de donat. apud Iuſtin. l. vlt. C. de don. ante nupt.* Ea donatio opponitur, & conſtituitur à marito in compenſationem dotis : & vt vxor viro dotem dat , ita donationem propter nuptias maritus vxori; vt docet dominus Cuiacius *lib.* 5. *obſ. cap.* 4. Hac ratione dotis appellatione plerumque venit, vt *in cap.* 5. *&* 6. *hoc tit.* Gregorio Turonenſi *lib.* 9. in exemplari pactionis inter Gunthranum & Childebertum Reges, & Brunichildem Reginam, dicitur matutinale donum, & doti coniungitur. Vocatur etiam paſſim doarium ſiue dotalitium. Hanc habet mulier

mortuo viro, quasi alimentorum loco, vt ait Iustin. *N. 2. cap. 4.* Differt autem à donatione inter virum & vxorem, de qua etiam est titulus hic: quia vt dictum est, fit ratione dotis & propter dotem, vnde & ἀνταφέρνη dicitur, *in d. l. vlt. C. de don. ante nupt.* At donatio inter virum & vxorem fit ex liberalitate sola. Item illa fit à marito tantùm, vnde & donatio maritalis dicitur. *l. 24. C. de donat. int. vi. & vx.* Donatio inter virum & vxorem fit etiam ab vxore in maritum. Denique pacta quæ de donatione propter nuptias interceſſerunt, mutare non licet: At donationes inter virum & vxorem ex arbitrio donantis possunt reuocari, & sola tantùm morte confirmantur, vt ex præscripto iuris ciuilis cautum est, *in cap. vlt. hoc tit.*

De ſecundis nuptiis.
Tit. 21.

SEcundarum nuptiarum appellatione veniunt hîc tertiæ, & quæ deinceps. Verùm eas omnes nõ tam probat Eccleſia, quàm concedit. Hinc Greg. Nazianz. πρῶτον σωφρονέστατον νόμος, δεύτερον συγχώρησις, τρίτον παρανομία, τέταρτον χοιρώδης βίος. D. Hieronymus ad Marcellam aduerſus Montanum lib. 3. epiſt. *Secundas nuptias non tam appetimus, quàm concedimus.* Ea ratione, quæ in primis nuptiis requiritur benedictio, in ſecundis interdicitur. *cap.* 1. *&* 3. *hoc tit.* Tertias nuptias in his qui quadraginta annorum ætatem exceſſerant, prohibuit Conſtantinus Porphyrogeneta, vt refert Harmenop. *lib.* 4. *tit.* 7. §. 30. Permiſſæ tamen fuere indiſtinctè etiam iure antiquo. *l.* 6. C.

hoc tit. Permiſſæ ſunt etiam iure canonum, *can. quomod. can. aperiãt.* 31. *qu.* 1. Ea cuius maritus eſt abſens, priuſquam certis & dilucidis probationibus conſtiterit eſſe mortuum, ad ſecundas nuptias tranſire non poteſt. *cap. in præſentia.* s. *de ſponſal. cap.* 2. *hoc tit.* Conſtantinus *in l.* 7. *C. de repud.* exacto quadriennio ad ſecundas nuptias tranſire permiſit. Iuſtinianus *N.* 22. *cap.* 7. *&* 14. ita diſtinxit, vt ſi vir vel mulier in hoſtium poteſtatem deuenerit, quinquennium exſpectetur: quo elapſo, antequam is qui captus eſt redierit, poterit is qui in ciuitate remanſit, & de ſalute eius qui captus eſt incertus eſt, ad ſecunda vota trauſire: ſi verò vir in caſtris ſit, iubet vt per ſpatium decem annorum mulier eum exſpectet, quibus tranſactis inoffenſo pudore & verecundia poſſit nubere. Quod eſt in l. *vxores. de diuort.* id ex *d. N.*

22. à Triboniano, ibidem relatum esse tradit maximus antecessor *in prioribus notis ad Instit. libros in proœmio*. Idem tamen Iustin. *N.* 117. *cap.* 16. postea illud etiam immutauit, & constituit mulieri nubere non licere, quantumcunque tempus elapsum fuerit, ex quo maritus eius vrbem est egressus, & in castris fuerit, nisi nuntio mortis eius accepto, nec eo, leui rumore aut fama, sed actis interuenientibus apud præfectum cohortis, vel Tribunum, sub quo maritus eius merebat, quibus certa fides interitus eius fiat. Idem & Leo statuit, *N.* 33. Si verò Episcopo concedente (licèt maritus adhuc viuat, & degat peregre) mulier impetrauerit nubendi licentiam, iustæ nuptiæ erunt, & liberi legitimi, qui ex hoc matrimonio nascentur *cap.* 8. §. *qui fil. sint legit.* Mulier autem quæ intra annum luctus transit ad secunda vota, infamis

non est hoc iure. *can. Euphemium, §. infames. 2. qu. 3. c ap. pen. & vlt. hoc tit.* est verò iure ciuili. *l. decreto, C. ex qu. cauſ. infam. irr.* Ita Iustin. *d. N. 22. & N. 39. in fi.* nuptias illas vocat γάμους ἀώρους, vt quæ ante tempus legitimum sunt contractæ: & iubet etiam eam, quæ præpropere nupsit, multari damno & iactura lucri, quod ex anterioribus nuptiis habebat, neque ab vllo heredem institui, aut legatum accipere posse.

PARATITLA IN LIBRVM V. DECRETALIVM Gregorij IX. Papæ.

De Accusationibus, inquisitionibus & denuntiationibus. Tit. I.

LIBER hic quintus tractatum omnem continet de crimibus, siue delictis, cùm priuatis, tum publicis. Incipit autem ab hoc titulo generali. Crimen obijcitur tribus modis, per denuntiationem, exceptionem, vel accusationem. *cap.* 46 *in fi.* s̃. *de appellat.* Cùm per denuntiationem crimẽ obijcitur, is qui denuntiat, non

tenetur vinculum inſcriptionis arripere, quia correctionem potius, & emendationem perſequitur, quàm vindictam. *cap.* 16. *hoc tit.* eáque ratione, idem ipſe qui denuntiauit, in eadem cauſa teſtis eſſe poteſt, *cap.* 4. s. *de teſtibus.* Cùm vero per exceptionem opponitur; id fit duplici ratione. Primò infertur criminis quæſtio, vt quis ab accuſatione repellatur, aut fides teſti alicui abrogetur, tanquam criminis infamia laboranti: eo caſu inſcriptione omnino opus non eſt, cùm is qui crimen obijcit, magis iuris aut exiſtimationis ſuæ tuendæ gratiâ id faciat, quam quò alium in periculum vocet. Ea etiam ratio eſt, quòd criminis quæſtio non agatur principaliter, ſed tota diſceptatio in eo ſit, vt eius, cui crimen obiectum eſt, teſtimonium vel accuſatio reprobetur; non etiam vt ei pœna legitima irrogetur.

getur : quod nec fit etiã, cùm eo modo de crimine quæritur. *l.* 21. *Lucius Titius. ff. de his qui not. infam. cap* 2. *§. fin. sup. de ord. cogn.* Secundò, crimen per exceptionem obiicitur, vt aliquis à beneficio, vel officio, quod adeptus est, excludatur : putà ne qui in Episcopũ electus iam est, & confirmatus, consecretur : Tunc quia non tam ius suũ tuetur, qui criminis quæstionem facit, quàm alienum oppugnat, quamquam inscribere necesse non habeat, tamen ex iudicantis arbitrio ad pœnam extraordinariam adstringitur. *d. cap.* 16. *hoc tit.* Solennis igitur inscriptionis vinculo solus accusator alligatur. Hac profitetur, cuius criminis reum aliquem postulet: quæ res ad id inuẽta est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem, quam si minus ex fide instituta sit, eadem pœna sequitur, quæ

ad gradus & ordines Ecclesiasticos ascendere. *cap. vlt. sup. de testibus. cap. 4. hoc tit.* Vltra modos superiores quibus de crimine quæritur, est & alius de quo etiam hic titulus est. Is est inquisitionis: ea fit per iudicem, cùm nullo deferente, ad criminis vindictam ipse accedit: eam tamen præcedere debet fama vel rumor, & is non leuis, sed multorum consensum habens, & veluti publicum testimonium, qui quasi deferre vel denuntiare dicitur, *capit. 21. §. ad hæc. cap. 24. hoc tit. cap. 31. infr. de simonia.* In his verò quæ non tàntùm ex fama, verùm ex ipsa euidentia nota sunt, & manifesta, nullus accusator, nullus testis desideratur, *cap. 8. sup. de cohab. Cler. & mul. cap. 9. hoc tit.* In his etiam ordo iudiciarius obseruandus non est, *cap. 21. sup. de iureiur. cap. 5. §. fin. sup. de appellat.*

De Calumniatoribus.

Tit. 2.

NOn omnis qui crimẽ,
intendebat, non prol
calumniator eſt; ſed is den
qui iniuriæ faciẽdæ animo
aut accuſationem calumni
inſtituit: ideo reo abſoluto i
de accuſatoris conſilio qua
incipit, vt vel iuſto eius c
parcat, vel in euidenti calu
deprehenſum legitima
coerceat. *l.* 1. *§. ſed non vtiq*
ad S. C. Turpil. Id autem
cumbit qui in probatione
cit, vt fidem faciat ſe calum
di animo ad accuſationem
acceſſiſſe, *cap. vlt. hoc tit.*
citio legitima hæc eſt, vt e
na irrogetur ei, qui calumn
eſt, quam pati debebat is, cu
minis quæſtio illata fuerat,
3. qu. 6. Hinc *in l. vlt. C.*

cuſat. calumniantes ad vindictam poſcit ſimilitudo ſupplicij. Lege etiam Cornelia teneri dicuntur, qui in accuſationem innocentium coeunt. *l. vltim. ff. de concuſſ.* Eos etiam relegari obtinuit. *l.* 3. §. *idem Diuus. ff. de teſtib.* Calumniæ pœna in Eccleſia olim ſacrorum interdictum fuit: ſic Iuſtin. N. 6. eum qui electum Epiſcopum cuiuſlibet criminis inſimulauit, pelli iubet à ſocietate fidelium. Idem N. 123. *cap.* 2. & N. 137. *capit.* 3. iubet etiam eum, qui falſi criminis Epiſcopum reum egit, à prouincia exulare, in qua cõmorabatur. Eodẽ caſu *cap.* 1. §. *vltim. de elect. in* 6. cauetur, vt is triennio à beneficijs Eccleſiaſticis ſuſpendatur, qui non ex fide crimen obiecit, quo alicuius electioni moras innecteret. In ceteris quæſtionibus cùm calũniæ animo clericum clericus crimine aliquo accuſauit, iactura beneficij

multatur. *d. cap. vlt. hoc tit.* Sed si nimia mentientis improbi detegatur, pœna etiam corpo li adficitur, & deportatur, *cap hoc tit.*

De Simonia, & ne quid ſpiritualibus exigatur vel promittatur.

Tit. 3.

PRæmiſſo generali titulo Calúniatoribus, qui ad nes denunciationes & accuſa nes pertinet; primus occurri tulus de Simoniæ crimine : enim nullum grauius agn Eccleſia, *cap. 6. hoc tit.* Ide inſtar criminis publici læſæ ieſtatis accuſatio eius inſtitu *cap. 31.* quod & pridem cauc Impp. Leo & Anthemius ir *quemquam. §. fin. Cod. de Epi, Cler.* Hac ratione, perinde

illo, infames quilibet admittuntur, nec vllius criminis exceptio accuſantem ſummouet, *cap.* 7. & 32. Nomen accepit, vt notum eſt, à Simone Mago, quòd primus ſceleri huic initium dederit. Ita Caſſiod. libr. 9. var. capit. 15. *Recolatur & timeatur Simonis iuſtæ damnatio, qui emendum credidit totius largitatis autorem.* Illo crimine tenentur qui quid pro ſpiritualibus vel dant, vel exigunt: & quaſi mercede pacta, res alioqui numario pretio non æſtimandas, in commercio habent: quod planè eſt, τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαρίζεσθαι, vt Iſocrates ait, licet ſenſu alio. Tenentur etiam hi qui ab his, qui religionem profitentur, aut in Eccleſiam aliquam allecti ſunt, quid extorquent pro introitu, vel ſportularum nomine, *cap.* 8. 9. 19. 44. Ita inſinuationes, ſiue

ἐμφανιστικὰ, pro introitu n
Clerici veteribus præstari p
hibuit Iustinianus, præterqu
in Ecclesia Constãtinopolita
*Nou.*56. & *Nou.*123.*cap.*16. Qu
verò nomine Simoniæ præ
tum est, vt quis gradum &
gnitatem In Ecclesia adipiscc
tur, id eius Ecclesiæ comm
discedere debet, *Nou.*6. *cap.* 1
N. 23.*cap.*2. & id cauetur eti
capit. 11. *hoc tit.* Huius crimi
pœna est καθαίρεσις, & ita q
que *can.* 29. *Apostol.* cautum
vt qui pecunia dignitatis Ec
siasticæ compotes facti fueri
deponãtur & consortio fideli
pellantur penitus. Sanè quod
citur ordinationem vel co
crationem vacare debere la
tionis sordibus, id non ita rig
accipiẽdum est, vt nihil omn
Prælato accipere liceat: ver
hoc tantùm, vt nõ liceat paci

Xeniola itaque & alia eiuſmodi, quæ modum non excedunt, vel non magni momenti ſunt, ſi turpis lucri abſit ſuſpicio, perſonarum habita dantis & accipientis ratione, inoffenſa religione Prælatus accipiet, *capit.* 18. & vt multa ſunt quæ licèt peti non poſſint, honeſtè tamen & offeruntur, & ſuſcipiuntur: ita quæ inualuerunt conſuetudines, vt aliquid honoris gratia præſtetur, non facilè immutandæ ſunt, *cap.* 42. At in his etiam veteri prouerbio locus eſt, ὅτι πάντα, ὅτι πάντοθεν, ὅτε παρὰ πάντων, quod in xenijs quæ iudicibus offeruntur cautum eſt *in l.* 6. *§. fin. ff. de off. Proconſ.*

Ne *Prælati vices ſuas vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant. Tit. 4.*

PEndet hic titulus à ſuperiori, & eius veluti pars eſt: nempe videlicet liceat Epiſcopo aut cuiuſlibet Eccleſiæ prælato, vices ſuas ſub annuo cenſu addicere, & quaſi auctionari. Poſſunt quidem fructus Eccleſiæ locari ad certum tempus, *cap. fin.* Verùm vt aliquis Prælati partibus fungatur, poteſtatem & iuriſdictionem habeat vice alterius, ius denique in procuratione rerum ſpiritalium vindicet dato pretio, omnimodo non licet. *cap.* 8. *tit. ſuperiore, cap.* 1. 2. *pen. hoc tit.* Hæc fiduciariæ pactionis ſpeciem præ ſe ferunt, quam canones non probant: & ita *can. fin.* 21. *qu.* 2. inhibetur ne eccleſiæ committantur preſbyteris conductitijs.

De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Tit. 5.

ET hic quoque titulus pars eſt tituli de Simonia : hi enim propè ad ſimoniæ crímen accedunt, qui auara cupiditate ab his aliquid extorquent, qui ad ſcientiarum bonarúmque diſciplinarum cognitionem aditum pateſaciunt & muniunt, quos decet potius præmijs & muneribus ad docendum inuitari. Eſt etiam de magiſtris, vt in vnaquaque Eccleſia Cathedrali præbenda præceptori alicui aſſignetur, quò pauperes & tenuiores erudiantur. Id primò Concilium Matricenſe induxit, *cap. 3. ſupr. de vitæ & hon. Cleric.* Illud etiam ad curam & ſollicitudinem Epiſcopi pertinere dicitur, vt certis locis

præceptores conſtituantur, q
iuuentutem doceant, *canon. quibuſdam.* 37. *diſt.* Sed & hoc t
tulo cauetur etiam, vt in ſingul
Eccleſijs, quæ capitulum habẽ
Theologo præbenda aſſignetur
qui præeat viam canonicis a
ſanctiſſimæ Philoſophiæ aditu
petſcrutandos. Hoc idem cau-
tum eſt conſtitutione Caroli 9.
lata in comitijs Aurelianenſibus,
§. 8. & 9. Idémque porrectum
ad monaſteria. §. 20. quod & cõ-
probat conſtitutio Bloeſenſis, §.
25. & 26. Magiſtri nomen venit
à monſtrando vel monendo. *l. 57.*
cui præcipua. ff. de verb. ſignif. Ita
Caſſiod. libr. 7. var. *Reuerendum*
honorem ſumit, quiſquis magiſtri
nomen accepit; quia hoc vocabu-
lum ſemper de peritia venit, & in
nomine cognoſcitur quid ſit de mo-
ribus æſtimandum. L. 8. *Codic. de*
profeſſ. & med. libr. 10. cauetur
vt magiſtri & doctores moribus

excellant, deinde facundia. Eo ſenſu, Plutarch. eleganter libr. περὶ παίδων ἀγωγῆς· διδασκάλῳ ζητητέον τοῖς τέκνοις, εἰ καὶ τοῖς βίοις εἰσὶν ἀδιάβλητοι, καὶ τοῖς τρόποις ἀνεπίληπτοι, καὶ ταῖς ἐμπειρίαις ἄφυροι· πικρὰ γὰρ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας, τὸ νομίμως τυχεῖν παιδείας.

De Iudæis & Sarracenis, & eorum ſeruis. Tit. 6.

HIc Iudæi & Sarraceni con-
iunguntur: horum tamen
aliqua ratione diſpar cauſa eſt,
can. diſpar. 23. quæſt. 8. Cum Sa-
racenis bellum eſt ἄσπονδος,
ἀκήρυκτος, ἀδιάλλακτος. Hi eorum
nomine veniunt pro-
ſtitionis ſequaces
ſtes nominis Chriſtiani, qui
his ferunt ſuppli-

multatur. *d. cap. vlt. hoc tit.* Sed si nimia mentientis improbi detegatur, pœna etiam corpori adficitur, & deportatur, *cap. hoc tit.*

De Simonia, & ne quid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.
Tit. 3.

PRæmisso generali titulo de Calúniatoribus, qui ad omnes denunciationes & accusationes pertinet; primus occurrit titulus de Simoniæ crimine: illo enim nullum grauius agnoscit Ecclesia, *cap. 6. hoc ut.* Ideo ad instar criminis publici læsæ maiestatis accusatio eius instituitur, *cap. 31.* quod & pridem cauerant Impp. Leo & Anthemius in *l. si quemquam. §. fin. Cod. de Episc. & Cler.* Hac ratione, perinde ac in

illo, infames quilibet admittuntur, nec vllius criminis exceptio accuſantem ſummouet, *cap.* 7. & 32. Nomen accepit, vt notum eſt, à Simone Mago, quòd primus ſceleri huic initium dederit. Ita Caſſiod. libr. 9. var. capit. 15. *Recolatur & timeatur Simonis iuſta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis autorem.* Illo crimine tenentur qui quid pro ſpiritualibus vel dant, vel exigunt: & quaſi mercede pacta, res alioqui numario pretio non æſtimandas, in commercio habent: quod planè eſt, τὰς χάριτας ἀχαρίτως χαρίζεσθαι, vt Iſocrates ait, licet ſenſu alio. Tenentur etiam hi qui ab his, qui religionem profitentur, aut in Eccleſiam aliquam allecti ſunt, quid extorquent pro introitu, vel ſportularum nomine, *cap.* 8. 9. 19. 44. Ita inſinuationes, ſiue

ἐμφανιστικὰ, pro introitu no
Clerici veteribus præstari pr
hibuit Iustinianus, præterquai
in Ecclesia Constãtinopolitana
*Nou.*56. & *Nou.*123.*cap.*16. Quo
verò nomine Simoniæ præsti
tum est, vt quis gradum & di-
gnitatem In Ecclesia adipiscere-
tur, id eius Ecclesiæ commo-
dis cedere debet, *Nou.*6. *cap.* 1. *d.*
N. 23.*cap.*2. & id cauetur etiam
capit. 11. *hoc tit.* Huius criminis
pœna est καθαίρεσις, & ita quo-
que *can.* 29. *Apostol.* cautum est,
vt qui pecunia dignitatis Eccle-
siasticæ compotes facti fuerint,
deponãtur & consortio fidelium
pellantur penitus. Sanè quod di-
citur ordinationem vel conse-
crationem vacare debere largi-
tionis sordibus, id non ita rigidè
accipiẽdum est, vt nihil omnino
Prælato accipere liceat: verùm
hoc tantùm, vt nõ liceat paciſci.

Xeniola itaque & alia eiuſmodi, quæ modum non excedunt, vel non magni momenti ſunt, ſi turpis lucri abſit ſuſpicio, perſonarum habita dantis & accipientis ratione, inoffenſa religione Prælatus accipiet, *capit.* 18. & vt multa ſunt quæ licèt peti non poſſint, honeſtè tamen & offeruntur, & ſuſcipiuntur: ita quæ inualuerunt conſuetudines, vt aliquid honoris gratia præſtetur, non facilè immutandæ ſunt, *cap.* 42. At in his etiam veteri prouerbio locus eſt, ὅτι πάντα, ὅτι πάντοθεν, ὅτε ἀπὸ πάντων, quod in xenijs quæ iudicibus offeruntur cautum eſt *in l.* 6. §. *fin. ff. de off. Proconſ.*

De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Tit. 5.

ET hic quoque titulus pars eſt tituli de Simonia : hi enim propè ad ſimoniæ crímen accedunt, qui auara cupiditate ab his aliquid extorquent, qui ad ſcientiarum bonarúmque diſciplinarum cognitionem aditum pateſaciunt & muniunt, quos decet potius præmijs & muneribus ad docendum inuitari. Eſt etiam de magiſtris, vt in vnaquaque Eccleſia Cathedrali præbenda præceptori alicui aſſignetur, quò pauperes & tenuiores erudiantur. Id primò Concilium Matricenſe induxit, *cap. 3. ſupr. de vitâ & hon. Cleric.* Illud etiam ad curam & ſollicitudinem Epiſcopi pertinere dicitur, vt certis locis

præceptores conſtituantur, qui iuuentutem doceant, *canon. de quibuſdam. 37. diſt.* Sed & hoc titulo cauetur etiam, vt in ſingulis Eccleſijs, quæ capitulum habẽt, Theologo præbenda aſſignetur, qui præeat viam canonicis ad ſanctiſſimæ Philoſophiæ aditus petſcrutandos. Hoc idem cautum eſt conſtitutione Caroli 9. lata in comitijs Aurelianenſibus, §. 8. & 9. Idémque porrectum ad monaſteria. §. 20. quod & cõprobat conſtitutio Blœſenſis, §. 25. & 26. Magiſtri nomen venit à monſtrando vel monendo. *l. 57. cui præcipua. ff. de verb. ſignif.* Ita Caſſiod. libr. 7. var. *Reuerendum honorem ſumit, quiſquis magiſtri nomen accepit; quia hoc vocabulum ſemper de peritia venit, & in nomine cognoſcitur quid ſit de moribus æſtimandum.* L. 8. *Codic. de profeſſ. & med. libr.* 10. cauetur vt magiſtri & doctores moribus

excellant, deinde facundia. Eo ſenſu, Plutarch. eleganter libr. περὶ παίδων ἀγωγῆς· διδασκάλῳ ζητητέον τοῖς τέκνοις, εἰ καὶ τοῖς βίοις εἰσὶν ἀδιάβλητοι, καὶ τοῖς τρόποις ἀνεπίληπτοι, καὶ ταῖς ἐμπειρίαις ἄφετοι· πικρὰ γὰρ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας, τὸ νομίμως τυχεῖν παιδείας.

De Iudæis & Sarracenis, & eorum ſeruis. Tit. 6.

HIc Iudæi & Sarraceni con-
iunguntur: horum tamen
aliqua ratione diſpar cauſa eſt,
can. diſpar. 23. quæſt. 8. Cum Sa-
racenis bellum eſt ἀνήμερος,
ἀκήρυκτον, ἀδιάλλακτος. Hi enim
nomine veniunt p[illegible]
ſtitionis ſequaces [illegible],
ſtes nominis Chriſtiani, qui
his ferunt ſupp[illegible], cum ea

hær. vel pag. & cap. 209. lib. 7. Capit. Caroli magni. Antiquas ſynagogas reparare & reſtaurare poſsũt; nouas inſtituere, aut exſtruere non poſſunt. *l. fin. C. hoc tit. cap. 3. & 7. hoc tit.* Non poſſunt etiam honorem, & magiſtratũ gerere, aut officio quolibet in republica fungi, ne in Chriſtianos ſæuiant, *cap. 16. & pen. hoc tit. l. fin. C. eod.* & omnimodo ritus ſuos citra contemptum Chriſtianę religionis, retinere poſſunt: alioqui ſi ab illicitis ſe non temperauerint, pœna eis indicitur, *d. l. fin. cap. 4. 13. 15. hoc tit.*

De Hæreticis. Tit. 7.

HÆretici illi dicuntur, qui quolibet modo ab orthodoxis diſſentiunt, & in fide cum Romana Eccleſia non conueniunt. *l. 1. Cod. de ſancta Trinit.* Huc (vt in *l. 2. C. hoc tit.*) qui vel

De Schiſmaticis & ordinatis ab eis. Tit. 8.

SChiſmatici, licet hæretici nõ ſint, hæreticis tamẽ ſunt proximi: à ſchiſmate enim ad hæreſim facilis lapſus: & vt ait D. Hieronymus *in can. inter.* 24. *q.* 3. ferè nullum ſchiſma eſt, quod non hæreſim aliquam cõfingat: ideóque & hoc titulo promiſcuè hæreticorum & ſchiſmaticorum nomen accipitur. Hi circa fidei & religionis momenta propriè non diſſentiunt, ſed circa præpoſitos tantùm pertinaci animorũ contentione diſiuncti ſunt: dum vel ſibi in Eccleſia non iure dignitatem aſſerunt, vel factionibus initis alios ſibi in Prælatos vindicant, quàm quos Eccleſiæ concors ſententia delegit: quod genus diſſidij in electione ſummorum Pontificum, non ſemel

cum graui detrimento Eccleſia paſſa eſt. Hac ratione, vt σχίσμα Græcis, ita ſciſſura Latinis dicitur. *cap. 6. ſupr. de elect. can. ſchiſma. 24. q. 1.* Id autem hoc titulo maximè conſtituitur, id quod à ſchiſmaticis factum eſt, irritum eſſe omnino: ideóque nec bonorum Eccleſiaſticorum alienationem ab his factam valere, nec Clericos ab his ordinatos ordinis ſui habere exſecutionem, niſi poſtea cum illis, qui ordines ſuſceperint, benignè diſpenſatum fuerit.

De Apoſtatis & reiterantibus Baptiſma. Tit. 9.

APoſtatæ ij ſunt, vt nominis ipſa notatio deſignat, qui in eo quod rectè inſtituêre nō permanent, qui à bono propoſito recedunt, & eò vnde digreſſi

ſunt malum pedem referunt: ij denique qui à fide orthodoxa, ad nefarios Iudaicæ vel paganæ ſuperſtitionis ritus tranſeunt. Qui ab orthodoxis ad hæreticos deflectunt, lapſi & errantes; qui ad Paganos vel Iudæos, perditi dicuntur, & ſanctum baptiſma profanant, *l. 3. C. hoc tit.* Apoſtatæ ij ſunt etiam (& de his eſt titulus hic) qui relicto clericali miniſterio, & regulari profeſſione, cui voto adſtricti ſunt, ad ſæcularem vitam tranſire, & irritam fidem facere nituntur. *capit. 20. ſupr. de regul. & tranſ. ad relig. cap. 1. hoc tit.* Hi coguntur habitum quem abiecerunt reſumere, *cap. 3. & pen.* quòd ſi non paruerint, excluduntur à ſocietate fidelium, vt conſtitutum eſt *lib. 6. Capitul. Caroli magni, capit. 139. & can. fin. 50. diſt.* Hos ſiue clericos, ſiue monachos pœnæ loco curiæ vniuſcuiuſq; ciuitatis tradi

iubet Iuſtin. *l.* 52. Ἀναπίζομεν. C. *de Epiſc. & Cler. & N.* 123. *cap.* 15. Apoſtatis hoc titulo iunguntur Anabaptiſtæ, ſiue hi qui ſanctum baptiſma iterando contaminant. Id verò & canones, & leges ciuiles prohibent, indicta pœna ſacerdotibus, qui id facere auſi fuerint, *l.* 1. C. *ne ſanct. bapt. reit.*

De his qui filios occiderunt. Tit. 10.

HOc titulo præſcribitur pœna canonica contra eos, qui filios occiderunt: vt pœnitentiam agant delicto congruentem, iis indicto ſolenni ieiunio. Idem cauetur de his qui incuria infantes filios oppreſſerũt: quod conſtitutum etiam eſt, *lib.* 7. *Capit. Caroli magni*, *cap.* 297. Verùm hoc remiſſius aliquanto iura canonum, & ex ſolita tamen benignitate, qui etiam in gra-

uioribus, illic ſubſiſtũt, nec progrediuntur vltrà, cùm ius gladij nõ habeãt, ſed *ἀναίμακτον ἀρχὴν*, vt ait D. Gregorius Nazianzenus *in epiſtola quadam ad Africanum.* Iure verò ciuili huic ſceleri, cùm pater vel mater filiorũ fata properauerit, pœna ſtatuta eſt ex l. Pompeia, de paricidijs. *l* 5. §. *fin. ff. ad leg. Pomp. de paricid. l. vn. C. de his qui par. vel lib. occid.* Ab his qui filios occidunt, non multum ſcelere differunt mulieres, quæ viſceribus ſuis vim inferẽdo, liberorum ſpem enecant: homicida enim dicitur, qui conceptũ in vtero per abortũ deleuit, *can. conſuluiſti.* 2. *q.* 5. Homicida dicitur is etiam, qui poculum dat, quo vel conceptus vel generatio impediatur, *cap.* 5. *inf. de homicid.* Exquæ partum abigunt, iure ciuili in exilium exiguntur. *l. ſi mulierem. ff. ad l. Cornel. de ſic.*

Conſtitutio Henrici ſecundi e
vltimo ſupplicio afficit. At l
Moſaica *Exodi capit.* 21. in e
traneo, qui cauſam dedit abo
tui, diſtinguit, vt ſi iam in vte
formata fuiſſet, & ſuis nume
compoſita corporis compage
id eſt, παιδίον ἐξεικονισμέ
eſſet, reatum morte lueret;
minus, ex arbitrio mariti, c
fraudatus eſſet ſpe liberorum,
iuria ſarciretur. Ea res auget
minuit facti atrocitatem, vt d
cet doctor maximus *lib.* 19. c
cap. 9. quod confirmatur *cap.* 2
inf. de homicid.

De infantibus & languidis e poſitus. Tit. 11.

APpoſitè titulo ſuperiori
titulus ſubiunctus eſt; n
& necare filios dicuntur qui
iiciunt, qui alimonia denega
quíque publicis locis miſeric

Digitized by Google

diæ cauſa exponunt, quam ipſi non habent: vt rectè Paulus *I. C. in l. 4. ff. de lib. agn.* Magna verò quæſtio, vt inquit Plin. *lib.* 10. *epiſt.* de his ſemper habita eſt, qui liberi nati, deinde expoſiti & ſublati ab aliquibus fuerint. Apud eundem eodem loco extat Traiani diploma ſiue reſcriptum, quo ad eiuſdem Plinii conſultationem qui proconſulatum in Bithynia obtinebat, reſcribit, licet in ſeruitute fuiſſent educati, in priſtinum tamen, quo nati erant libertatis ſtatum aſſerendos, cùm æquum non eſſet libertatem, quæ inæſtimabilis eſt, pretio alimẽtorũ redimi. At hoc reſcriptum ad ſolam Bithyniam pertinuit, & fortè aliæ prouinciæ alio iure vtebantur ex conſtitutionibus anteriorum principum. Conſtantinus autem *in l.* 1. *C. Th. de expoſitis*, conſtituit cuiuſcunque conditionis eſſet is, qui

Digitized by Google

expoſitus fuiſſet, dominio ei
cedere qui ſuſtuliſſet, & eiuſde
arbitratu, vel tanquã ingenuu
vel tanquam ſeruum poſſe re
neri. Additur *in l.2.eod.tit.* ſi m
dò teſtes Epiſcopalis ſubſcripi
fuerit ſubſecuta, id eſt, ſi hac
re conteſtatio habita eſſet, Ep
ſcopo & Clericis ſubſcribẽtibu
vt confirmat can. vlt. 87. *diſt.*
Eccleſijs quæ Epiſcopũ non h
bebant, oportuit eam conteſt
tionem fieri coram matricular
Eccleſiæ, vt docet formula cc
lecti & diſtracti infantis, edita
maximo Iuriſconſulto Cuiacii
in tit.1.lib.5. ſent.Paul. Iuſtinian
ab hoc iure receſſit, & conſtitu
eos qui ſic collecti eſſent, in
bertatem vindicandos, etiam
ſcrui nati eſsẽt, nec in his ius vl
educatoribus quæri, ne qua
mercimonio cõtracto viderẽtu
pietatis officium geſſiſſe, *l.25. n*
mini. C. de Epiſc.aud. l.vlt. C. de i

Fant. expoſ. & N. 153. περὶ χαμαιρέτων βρεφῶν. Retinet ius à Iuſtiniano inductum Gregorius *cap. vn. hoc tit.* eo addito, vt pater, qui neglecto pietatis officio, liberos expoſuerit, patria poteſtate cadat, nec hos ſibi aſſerere poſſit. Idem ius etiam porrigit ad ſeruos, qui cùm aduerſa valetudine laborarent, à dominis neglecti, & domo exacti ſunt. Hi pridem ex edicto Claudij Imperatoris Latinam libertatem aſſequebantur, id eſt, in libertate morabantur dum viuerent; eorũ verò cùm mortui eſſent, bona patronus vindicabat. Iuſtinianus eoſdem ius ciuitatis Romanæ, & libertatem legitimã adipiſci voluit, *l. vn. § ſed ſcimus. Cod. de lat. lib. toll.* & inde par eſt credere Tribonianum *in l. 2. ff. qui ſine manum. ad lib. peruen.* latinæ libertatis mentionem ſuſtuliſſe, quæ ſublata fuerat conſtitutione *d. l. vn.*

De homicidio voluntario & casuali. Tit. 12.

RECTÈ separatur causa homicidii voluntarij, & casualis: voluntas enim & propositum delinquentis distinguit maleficia, vt ait Paulus *in l. 53. qui iniuriæ. ff. de furtis.* Idem ipse *lib. 5. sent. tit. 23. Consiliũ*, inquit, *vniuscuiusque, non factum puniendum est.* Ea ratione Aristoteles lib. 3. *Eth.* de voluntario & inuolun-

tario arbitrari ait iurisconsultos, & eos qui iuri dicundo, vel statuendo præsunt: τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον ἀναγκαῖον ἴσως διορίσαι τοῖς νομοθετοῦσι, περός τε τὰς τιμὰς καὶ τὰς κολάσεις. Distinctio ea facit, vt & qui hominem occidit, absolui debeat, si non occidendi animo id admisit; & pro homicida damnetur, qui nõ oc-

cidit si occidere voluit: quod continetur rescripto D. Hadriani relato ab Vlpiano apud Pariatorem legis Mosaicæ, *tit.* 1. & Martiano *in l.* 1. §. 3. *ff. ad l. Cornel. de sic.* Is igitur qui hominem occidit non data opera, sed improuiso casu, à pœna liber est, *cap.* 9. 13. 14. 15. 23. *& vlt. hoc tit.* Si tamen præcesserit culpa eius aliqua, licet remissior pœna constituatur, constituitur tamen. Ita accipiendus Demosthenis locus, *in l.* 2. *ff. de legib.* dum legem vult esse ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων, & ἀκουσίων ἁμαρτημάτων: vt ea demum delicta, quæ non sponte admissa sunt, emendationi subdantur, si culpam adiunctam habeant. Obtinuit apud Græcos, vt casus fortuiti exilio voluntario luerentur, vt dicitur *in l.* 16. *aut facta.* §. *pen. ff. de pœnis.* Sic Xenophon *lib.* 4. ἀναβάσεως

in fi. εἴλοντο ὃ Δεκάπον ἀπαρτ. πλω, ὃς ἔφυγε πᾶς ὢν οἴκο. παῖδα ἄκων καταπαγὼν, ξυή. παλάξας. Hic ritus manasse v detur à lege Dei, qua tres const tutæ ciuitates, quæ dicebantu πόλεις φυγαδευτηρίων, in quas f reciperent, qui casu hominem necassent, vt constat ex *lib. Iosu cap.* 20. *& Deuteronom. cap.* 19. Is autem tanquam homicida puni- tur qui homicidio causam dedit, *cap.* 6. §. *qui verò. cap.* 11. *hoc tit.* Punitur is etiam, qui furem vel latronem occidit, cùm fuga aut alia ratione posset saluti suæ con- sulere. *capit.* 2. *capit.* 10. Fur qui noctu ad prædandum venit, po- test occidi impunè; verùm inter- diu non item : vt cautum est *Exo- di cap.* 22. Id & antiquis legibus sæcularibus obtinuisse D. Augu- stinus ait *in cap.* 3. *hoc tit.* Anti- quas leges vocat, leges duodecim

tabularum : quibus illud nominatim constitutum erat, *l.* 4. §. *fin. ad leg. Aquil.* & tradit etiam A. Gell. *lib.* 11. *cap. vlt.* quod legibus Franciæ admissum quoque *lib.* 5. *Capitul. Caroli magni cap.* 191. Idem Soloni & Platoni placuisse docet maximus Iurisconsultus *lib.* 19. *obs. cap.* 12.

De Torneamentis. Tit. 13.

LVdus omnis inculpatus, & innoxius esse debet. *l.* 10. *ff. ad l. Aquil. l.* 50. *in furti.* §. *fin. ff. de furt.* nec quis rectè ludos appellauerit, ex quibus crimina oriuntur, vt inquit Iustin. §. *Illud verò. in oratione ad Antecessores, in præfat. Pandectarum.* Ita constitutione Constantini *in l. vn. C. de gladiat. pen. toll.* cruenta gladiatorum spectacula prohibentur. Eadem ratione prohibent Pontifices publica certamina, in quibus ad

pompam, & virium oſtent
nem, in catadromo concur
equites, ſeſe mutuò lanceis &
ſtis petentes: licèt enim hæ
gnæ ludicræ ſunt ſimulachra
pe tamen funeſtum propè
lium inducunt, dum ex his r
hominum ſequitur: vix au
pati liceat, πὰ τοὺς τέρψιν
μὴ, εἰς μανίαν ϗ φόνους πρέπ
vt inquit idem Iuſtinianus,
102. *cap.* 2. Pœna hæc hoc ti
conſtituitur in eos qui decer
di gratiâ his ludis interfuerit
Eccleſiaſtica ſepultura pri
tur.

De Clericis pugnantibus duello. Tit. 14.

AGitur hoc titulo de Cle
duellum offerentibus,
ſuſcipientibus oblatum, vt d
nantur, niſi ſi Epiſcopus cum
benigne agat, *cap.* 1. *ſup.* de

vit. ord. vel non. quod tum demũ fit, cùm res non vsque eo processit, vt occisus aliquis, aut graui aliquo vulnere afflictus fuerit. Idem constituitur, si Clerici aliquos dederint, qui pro his vicariam operam in duello præstiterint: vt tam Clerici, qui mandauerunt, quàm qui eorum nomine pugnauerunt, tanquam homicidæ iudicentur. Iustinianus *l.* 35. σφόδρα. C. *de Episcop. aud.* vetat Clericos interesse publicis equorum certaminibus; ἢ καὶ σφόδρα καλεῖσθαι πρὸς τῆς τῶν ἵππων ἥττης, καὶ νίκης, ἢ δι' ἑαυτῶν, ἢ διά τινων ἑτέρων. Religiosum etiam apud veteres fuit, Flaminem Dialem equo vehi, & classem procinctam, siue armatum exercitum videre, vt testatur A. Gell. *lib.* 10. *cap.* 15.

De Sagittariis & Balliſtari

Tit. 15.

BAlliſtarij ſunt, qui Ball conficiunt. Balliſtæ au ſunt catapultæ, ſiue mach quædã, quibus in hoſtes vibr & emittuntur grauioris ponc lapides, ad eos cõtũdẽdos. D hic locus Syneſij accipiendu ep. 133. ϗ μοὶ χολὴ πρὸς πνὶ χανῆ τὸν νοῦν ἔχοντι. καταπλή μαι χὸ, ὡς ἂν ἀπὸ τῶν πύργων ζολώτατα πέμποιμι ἀξιόλογ θων βάρη. Sunt igitur μηχανη τὰ πετροβόλα, ὄργανα λιθοβ Hinc & nomen ſumpsêre, ἀπὸ βάλλειν, quod eſt proijcere. S ferreæ trabes eiuſmodi torn tis maximo impetu in mec hoſtium aciem contorqueb Silius Italicus *libr.* 1. *de bello P*

Adductis ſtridula neru
Phocais effundit vaſtos balliſta
lares.

Atque eadem ingentis mutato pondere teli,
Ferratam exeuntiens ornum media agmina rumpit.

Hoc nomine veniunt quoque tormenta bellica ad muros diruendos, aut concutiendos, vt docet Liuius *lib.* 21. dum eam quam Silius, Sagunti oppugnationem describit. Ouid. *lib.* 1. *trist. el.* 2.

Nec leuiùs laterum tabulæ ferruntur ab vnis,
Quàm graue balliſtæ mœnia pulſat onus. Seneca in Hippolyto:

Non arma ſæua miles aptabat manu,
Nec torta clauſas fregerat ſaxo graui
Balliſta portas.

Eiuſdem generis fuêre Arietes. Cic. lib. 1. de Offic. *Qui poſitis armis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamuis aries murum percuſſerit, ſunt recipiendi.* Qualis verò machina Aries fuerit, deſcribit

Iosephus *lib.* 3. περὶ ἀλώσε
Heliod. hoc sensu *lib.* 8. *hist.* Æ
μηχανῶν πιχομάχων mention
facit, quæ in bello vsui essent.
sunt quæ à Marco Bruto in
stola quadam ad Lycios vocan
μηχανικὰ ὄργανα πιχομαχίας
ταυμαχίας. Sic apud Xenoph
tem *lib.* 6. Κύρ παρ. χὴ π
μηχανὰς εἰς τὸ καθαίρειν τὰ
πολεμίων πίχη. Demetrius suo
ingenio sibi eiusmodi instrum
bellica fabricauerat, quæ ἑλε
vocabantur, vt Plutarch. testi
in eius vita: & hanc etiam ob
cognomẽtum ei πολιορκητὴς
vt Gellius tradit *lib.* 15. *cap.*
Hinc Suidæ machinæ eiusm
dicuntur πολιορκητικὰ ὄργανα
cuntur etiam ἀφετήρια, quòd
emittantur saxa longioráqu
gna ferrato acumine. His et
sagittæ eminus iaciuntur: vn
hic appositè sagittarij Ballist

Digitized by Google

coniunguntur: & in hanc rem fortè comparatæ sunt minores ballistæ: nam maiores & minores fuisse Liuius auctor est *lib.* 26. vbi de apparatu belli qui Carthagini vrbe capta inuentus est. Qua autem materia hæ ballistæ conficerentur, docet Constantinus Cæsar. *libello de admin. Imper. ad Romanum filium, cap. fin. in pittacio quodam donationis:* ὡς ὅτι τύπις παρέχομεν ὑμῖν καθ' ἕκαστον ἔτος νεῦρόν τε καὶ κανάβον, σίδηρόν τε καὶ ἔλαιον ὑπὲρ καταπηθῆς τῶν βαλίστρων ὑμῶν. Hoc autem titulo non damnatur ars ballistariorum, & sagittariorum: hoc tantùm cauetur ne cuiquam liceat eam artem exercere aduersus Christianos & Catholicos, vt C. *tit.* 6. fuit prohibitum, ne hostes nominis Christiani armis instruerentur: Hac ratione *in l. eorem.* 10. *ff. de public. & vectigal. &*

fin. C. quæ res export. non deb.
ena ſancita eſt in eos, qui bar-
ris & alienigenis cuiuſlibet ge-
ris arma vendiderint: quaſi
oditioni proximum ſit barba-
s, vt validiores reddantur, telis
ſtruere, quibus eoſdem conue-
t indigere.

De adulterijs & ſtupro.
Tit. 16.

ADulterium in eam quæ nu-
pta eſt committitur, ſtu-
um verò in virginem & vi-
am, *l.*6.§.1. *ff. ad l. Iul. de adult.*
ui puellæ vim intulit, eam vxo-
m ducere, & dotem eidem aſſi-
nare cogitur, *Exodi cap.* 21. Ex
o ſumptum eſt cap. 1. *huius tit.*
noluerit eam ducere, fuſtibus
ſtigatus in monaſterium retru-
tur. *cap.* 2. Iure ciuili mulier de
atrimonio ſuo violato queri
on poteſt. *l.*1. *C. ad l. Iul. de adult.*

hoc iure poteſt. *cap. 1. §. vt lite non conteſt.* Si etiam à marito accuſetur adulterij nomine, poteſt eidem eiuſdem criminis quæſtionem referre. *cap. pen. & vlt. hoc tit.* Periniquum eſt, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet, *l. 13. ſi vxor. §. iudex. ff. ad l. Iul. de adult.* quod ſumptũ eſt ex cõſtitutione quadam Imp. Antonini, quę relata eſt in fragmentis Codicis Gregoriani, *l. 6. ex titulo incerto.* Gregor. Nazianzenus, πῶς σὺ ϕρονιώλω ἀπαιπῖς, ὁπ ἀδπιοφέρεις δέ; Eodem ſenſu D. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ. *Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris: et ſeruitus eadem pari conditione cenſetur.* In hac autem accuſatione multa viro permittuntur; vt ex ſola ſuſpicione accuſare vxorem poſſit. *cap. 4. hoo tit.* Item vt citra calumniæ periculum accuſationem hanc poſſit inſtituere; quamobrem habe-

ſexaginta dies vtiles intra quos iure mariti agere dicitur, *l. auxilium. 38. ff. de minor. l. 11. ſi miles. ff. ad l. Iul. de adult.* His tranſactis non niſi iure extranei admittitur, id eſt, cum inſcriptionis vinculo. *l. 6. C. eod.* Illud item habet, vt ex his quibus datum eſt illam accuſationem exſequi, omnibus præferatur. *l. 2. §. pen. ff. eod. tit.*

De Raptoribus, incendiarijs & violatoribus Eccleſiarum.

Tit. 17.

GEneralis eſt tit. hic, de his qui bona Eccleſiæ, vel ſingulorum, aut etiam virgines rapiunt. Eſt etiam de his, qui quoquomodo Eccleſias incendunt, aut violant. Qui agros obambulant diripiendi gratia, excommunicantur, niſi ablata reſtituant. *cap.* 1. Item qui naues expugnant, aut ex naufragio lucrum ſibi quę-

sunt. *cap.* 3. Vtroque casu iure ciuili cauetur rei ablatæ quadruplũ exsolui. *l.* 1. *ff. vi bon. rapt. l.* 1. *ff. de incend. ruina, naufrag. l.* 8. *in eum. C. de furtis & seru. corr.* His qui bona Ecclesiæ rapuerint, aut eas inceuderint, Ecclesiastica sepultura negatur, si pertinaces ad supremum vsque spiritum fuerint, nec errati veniam, damni & iniuriæ facta satisfactione competenti, deprecati fuerint. *cap.* 2. & 5. Sed & vbi crimen innotuerit, si excommunicati fuerint, à solo summo Pontifice absolui possunt. *cap.* 19. & 22. ĩ. *de sent. excom.* Quod ad raptum puellarum; illud constituitur, consistere matrimonium inter raptum & raptorem, si raptæ consensus postmodum accedat, *cap. vlt.* Iure ciuili omnimodo raptæ interdicitur connubio raptoris. *l. vn. C. de raptor. N.* 143. *et* 150. quod veteres Ecclesiæ sanctiones probauerunt, vt patet *ex can. de*

ellis. 36. qu. 2. qui ijſdem verbis
atns eſt, *lib. 1. Capit. Caroli*
gni.

De furtis. Tit. 8.

Vperior titulus fuit de furibus
improbioribus, qui palam &
illata quid abripiunt; hic verò
de his qui clãculum. Eſt etiam
Plagiariis, qui liberum homi-
em furati, eundem vendide-
nt. Huic crimini capitale ſup-
icium irrogatum eſt, *Exodi cap.*
. ex quo loco ſumptum eſt cap.
huius tituli. Idem repetitur
euteron. cap. 24. ἐὰν ἁλῷ ἄνθρω-
ς κλέπτων ψυχὴν ὁπ τῶν ἀδελ-
ῶν αὐτοῦ, ἢ καταδυναστεύσας αὐτὸν
ποδῶται, ἀποθανεῖται ὁ κλέπτης
ἐκεῖνος. Pariator legis Moſaicæ
. *de plagiarijs*, ex Paulo docet
re Romano eos qui id admiſe-
nt, adempta parte bonorum re-
gari; aut ſi humiliores eſſent,

Decret.
in metallu
cem tolli.
fine notat
Nouellis
giatores
niri capi
telligend
de plag. q
crimen il
men ne ſe
tur aduer
dum ius
alia affe
pienda
que vte
tione op
Quod au
tinet, id
eos qui in
ſunt occ
non frui
eos furti
bus parti
furem n
expoſtul

in metallum damnari, aut in crucem tolli. Quod idem auctor in fine notat, quasi in transcursu, Nouellis constitutionibus plagiatores pro facti atrocitate puniri capitali sententia, id est intelligendum de *l. fin. C. ad l. Fab. de plag.* quæ in futurum constituit crimen illud esse capitale: ita tamen ne seuerius animaduerteretur aduersus eos, qui iam secundum ius vetus, pœna metalli, vel alia affecti erant. Ita ea lex accipienda est, ex C. Th. *eod. tit.* neque vtendum in eius interpretatione opera Alciati & aliorum. Quod autem ad furta magis pertinet, id hoc titulo constituitur, eos qui in furando, id est, ἐν ἔργῳ sunt occisi, Ecclesiæ suffragiis non frui *cap.* 2. Constituitur etiam eos furti reos esse, qui cum furibus partiuntur, vel furti conscij furem non indicant domino, id expostulanti. *cap. pen.* Phocyl.

Digitized by Google

φωρᾶν μὴ δέξη κλοπίμως ἀν-
δρᾶν φόρε θήκλω·
ἀμφότεροι κλῶπες, ἢ ὁ δεξά-
μενος ἢ ὁ κλέψας.

inc receptatores aggressorum,
que latronum, eadem pœna af-
ciuntur, qua latrones ipsi: quin
sublatis susceptoribus grassan-
um libido conquiescit, vt cau-
m est *lib.7. Capit. Caroli magni*,
p.263. quod idemferè contine-
r *in l.13. congruit. ff. de offic. præs.*
in l.1. ff. de receptat. l.6. §. fin. ff. ad
l. pecul. & de sacrileg. & omni-
odo crimen dissimile non est,
pere, & ei qui rapuit, raptum
ientem seruare. *l. pen. C. ad l. Iul.*
vi publ. & priu.

De vsuris. Tit. 19.

TItulus de vsuris subnectitur
titulo de furtis, quia ferè pa-
conditione censentur qui vsu-

ras exigunt, & qui furantur. Mutuum omne sui origine gratuitum est, & separatur à fœnore, vt illo loco apud Plautum in Asinaria: *Si mutuo non potero, certum est sumam fœnore.* Iure diuino vsuræ primùm prohibitæ fuerunt, *Exodi cap.* 22. Ita etiam *Deuteronom. cap.* 23. οὐκ ἐκτοκιεῖς τῷ ἀδελφῷ σου τόκον ἀργυρίου, καὶ τόκον βρωμάτων καὶ τόκον παντὸς πράγματος, ὃ ἐὰν ἐκδανείσῃς. Iure ciuili certus ijs modus impositus est; non autem prohibitæ omnino. At ius canonum, vt multa non admittit, quæ leges ciuiles probant; ita vel hac in re ab eius regulis desciuit, nec patitur quemquam vsuras exigere, ne quidem in pecunia traiectitia, cuius periculum recipit creditor, *cap. vlt. hoc tit.* A sacris itaque arcentur qui his se illicitis lucris dediderint, *cap.* 3. & 7. Clerici de-

ponuntur, & officij proprij periculum patiuntur, si moniti non abstineant, vt est constitutum in canonibus Apostolorum, *can.* 44. *& cap.* 1. *hoc tit.* Omnis autem conuentio, quæ speciem vsurarum præ se fert, nulla est: Ideo qui propter dilatam solutionem, rem aliquam maioris vēdit, quàm præsenti pretio fungitur; æquè pœnæ est obnoxius. *cap.* 6. & quantumcumque fraus aliqua contractui obtendatur, semper in integro est, simulatis pro infectis habitis, rem vti acta est ad æquitatem suam redigere. *cap.* 5. s̃. *de empt. & vend.* Hac ratione non valet hoc iure pactum ἀνυπεύθυνος. & ideo statim atque ex fructibus rei obligatæ debitum percepit creditor, pignus restituere cogitur. *cap.* 7. s̃. *de iureiur. cap.* 9. s̃. *de pignor. cap.* 2. *hoc tit.* Ἀντίχρησις contrahi dicitur, cùm ex pacto in

vicem vſurarum creditor rei pignori datæ fructus percipit: quæ conuentio iure ciuili recepta eſt, *l. 1. §. cùm prædium. l. 11. ſi is. §. 1. ff. de pign. l. ſi ea pactione. l. ſi ea lege. C. hoc tit.* Recepta eſt etiam hoc iure duobus caſibus: ſi feudi dominus à cliente ſuo fundum beneficiarium in pignus accipiat, *cap. 1. §. de feudis. cap. 18. hoc tit.* vel ſi pignori poſſeſſio aliqua ſit oppoſita, donec dos ſoluatur: maritus enim fructus quos percepit ex re pignorata, interim ſuos facit, nec reddere cogitur, aut in dotis ſortem computare, *cap. 16. hoc tit.* Quantumcumque autem vſurarum conuentio inhibeatur, tamen mercatori ita pecunia mutuò dari poteſt, vt ex lucro, quod inde fecerit, pars creditori præſtetur, *cap. pen. §. de donat. int. vi. & vx.* Hoc ita fortè, quòd eo modo quaſi ſocietas quædam inita videatur, vt pretium ille, hic

operam conferat, quæ conuentio valet, §. *de illa. De ſocietate, apud Iuſtin. l. 1. C. pro ſocio.*

De crimine falſi. Tit. 20.

DEmpto capite primo (quod eſt de teſtibus, qui vel tacendi fraude teſtimonium detrectant, vel ſunt, falſa aſſerendo, mendaces; vt æquo iure cenſeantur) totus hic titulus eſt de concinnatoribus falſarum litterarum ſiue reſcriptorum; quâ ratione fraus illorum detegi poſſit, quibus etiã pœnis vindicari debeat. Reſcripta, quæ nomen ſummi Pontificis ementiuntur, aut cùm aliqua ſuſpicio eſt ab eo non eſſe profecta, mandari exſecutioni non poſſunt, *cap.* 2. Idem eſt ſi per ſuggeſtionem falſi aut ſuppreſſionem veri ſint impetrata, aut aliquid contineant quo ius publicum lædatur: eorum enim

exſecutio ſuſtinetur, donec ſummus Pontifex conſulatur. *cap.* 7. & 8. ℈. *de fide inſtrum.* Arguitur falſitas multis modis: ex ſigillo ipſo, quod aut falſum eſt, aut falſis litteris apponitur: vel ſi quid in litteris inductum, aut interlitum ſit. *cap.* 5. Illæ etiam falſæ exiſtimantur, in quibus aliquid eſt incongruens quoad modum loquendi, aut verborum σώνταξιν, quæque ſtribliginem aliquam habent contra normas Grammaticorum, *cap.* 11. ℈. *de reſcr. cap.* 6. *hoc tit.* Si litura in his aliqua fuerit in loco non ſuſpecto, nihilominus fidem faciunt, *cap. vlt.* Ea autem pœna contra falſarios, qui falſa diplomata Regis aut ſummi Pontificis concinnauerint, aut ſcientes, prudentéſque protulerint, conſtituitur, vt laici arceantur à communione fidelium, Clerici deponantur, & regradati iudicum ſæcularium poteſtati

committantur puniendi, ex præscripto legum ciuilium. *cap. 3. & 7. hoc tit. cap. 27. ĩ. de verb. signif.* In more positum est eos capitali supplicio affici.

De Sortilegis. Tit. 21.

SOrte quædam deciduntur, & iudicio fortunæ committi possunt quæ sunt dubia, cùm de iure aliquo quærendo, vel retinendo agitur, vt is admittatur, quem casus prætulerit. *l. sed cùm ambo. ff. de iud. l. 5. ff. fam. ercisc. l. fin. C. Commun. de leg.* Excipienda est electio, quæ per sortes fieri prohibetur. *cap. vlt. hot tit.* siquidem ad regimen Ecclesiæ quis præfici debet meritorum suffragio, non fortunæ iudicio, quæ etiam ignauissimo cuique fauere potest. Sic Tacitus rectè tradit sorte mores non discerni. Hoc & Iustinianus primũ cauerat Græca consti-

constitutione, *l.* 46. *C. de Epiſc. & Cler.* quæ eſt de Abbatis electione: Ἀρχὴ καὶ ὑπεροχὴ αἱρέσεων, ἡ ἐκ χρόνων, ἢ ἐκ κλήρων, ἢ ἐκ τυχηρῶν ψηφισμάτων, ἡ ὅπλοις κρίνεσθαι, ἢ τὸ ἴσον πάντων μεροποιεῖσθαι εἰς τὸ πλῆθος ψῆφον. Verùm ſi in diuerſas partes capituli vota ſe diuiſerint; & illi vnum, iſti alterum elegerint, iiſdem meritis iuuentur electi, æqualis etiam & dignitatis & autoritatis in pari numero ſint eligentes: fortè ad ſortis iudicium, dirimendæ diſceptationis gratia, recurrere non erit canonicæ rationi contrarium. Itaque nec omnino ſors ab electionibus eſt repellenda, ſi ratio aliqua eius iudicium requirat. *can. non exemplo.* 26. *qu.* 2. In ceteris negotiis futurorum rationem ſortibus inueſtigare, vel eorum quæ facta ſunt, certam cognitionem requirere, quaſi di-

uinatione quadam, non licet. *cap.* 1. *&* 2. *hoc tit.* imò & conſuli Magos aut Aſtrologos lex diuina prohibuit, *Deuteron. cap.* 18. quod leges ciuiles ſubſequuntur. *l.* 11. *Mathematicos. C. de Epiſc. aud. & toto tit. Cod. de malef. & Mathem.*

De Colluſione detegenda.
Tit. 22.

COlluſionis nomen hîc, non vt *in tit. vlt. li.* 40. *Digeſtorum*, pro ea lite ſumitur, quæ ad ſpeciem intenditur, vt ex ſeruo vel liberto quis ingenuus indicetur; ſed pro tergiuerſatione, aut præuaricatione, quæ in cauſis criminalibus fit: cùm nimirum gratia, aut ſordibus corruptus accuſator, ab accuſatione deſiſtit, vel non vt oportet reum peragit, ſed tranſlatitiè munere accuſandi defungitur, dum vel probationes proprias abſcondit, & diſſimulat,

aut falſas rei excuſationes, & exceptiones, vt veras, vt probabiles, vt cauſæ conſentientes admittit. Reus quidem ſemel abſolutus, repeti non poteſt. *cap.* 6. §. *de accuſat.* Verùm ſi accuſator ab accuſatione deſiterit, poteſt iudex qui cauſam audire cœpit diſquirere, qua ex cauſa ſit ab accuſatione ceſſatum, vt legis vel canonis poteſtatem exerceat. *cap.* 1. *&* 2. *hoc tit.* Sed & ſi reus abſolutus ſit, & præuaricatio accuſatoris prætendatur, aut iudex, cui cauſæ cognitio demandata erat, corruptus dicatur, de fide accuſatoris, & iudicis ſordibus quæri primùm debet: poſtea colluſione detecta, accuſatio replicari poteſt. *l.* 3 §. *ſi tamen. ff. de lib. hom. exhib. l.* 3. §. 1. *de præuaric. cap. vlt. hoc tit.* De colluſione, quæ fit in iudiciis ciuilibus eccleſiæ, eſt cap. pen. vt beneficio careat, qui ex compacto litem ſibi intendi paſ-

sus est, quò pensione aliqua beneficium suum grauaretur, aut quid aliud fieret canonicæ rationi contrarium: hinc fit vt transactiones omnes non valeant, qui de Ecclesiasticis beneficiis fiunt, vt constitit s. *tit. de transact.* alioqui vel fingi lites possent vt transactionibus panderetur via. *l.* 8. *cùm hi.* §. 20. *si cùm lis. ff. de trauſact.* Generaliter colluſio quæ fit etiam citra litis prætextum, viribus caret omnino. *cap.* 11. s. *de censib.* Iure ciuili qui colluſionem faciunt in necem alterius, pœna extraordinaria ſtellionatus coercentur. *l.* 3. §. 2. *ff. de crimin. ſtell.* Hi etiam qui in alienam litem improbè coeunt, vt quidquid ex condemnatione in rem eorum redactum fuerit, communicetur, lege Iulia de vi ex S.C. tenentur, *l.* 6. *ff. ad l. Iul. de vi priu.* hi quoque qui in occiſionem vel accuſationem innocentium colludunt, ex S. C.

quod Cotta & Messala Coll. factum est, coercentur pœna legis Corneliæ quæ de Sicariis lata est, vt refert Vlp. apud pariatorem legis Mosaicæ, *tit. de falso testimon.* quod & continetur *l. fin. ff. de concess.* In iudiciis publicis præuaricatoribus & tergiuersatoribus sua pœna est irrogata.

De delictis puerorum.

Tit. 23.

INfantem qui deliquit, tueri dicitur innocentia consilii, ideóque nulla pœna afficitur. *l. infans. 12. ff. ad l. Corn. de sic.* In pueris, qui infantiæ ætatem excesserunt, quique sunt proximi pubertati, non ita constituitur. A maiori quidem pœna excusantur ætatis miseratione, *cap. 1. hoc tit. cap. vlt. §. de sent. excom.* at non omnino liberi sunt. Habena itaque & ferula cædi possunt, *l. 1. §. mipnòri.*

ff. ad S.C. Syllan. ſed & lege Aquiſia & furti tenentur, ſi iniuriæ ſint capaces. *l. 5. §. ſed & ſi infans. ff. ad l. Aquil. §. pen. de obl. quæ ex del. naſc. apud Iuſtin. l. pupillum.* III. *ff. de reg. iu.* atque etiam actione de dolo, ſi locupletior ex dolo ſuo facti ſint. *l.* 13. *§. fin. cum l. ſeq. ff. de do. ma.* Hinc Gell. *lib.* II. *cap. vlt.* lege 12. tab. id obtinuiſſe ait, vt impuberes, ſi furtum feciſſent, Prætoris arbitratu verberarentur, noxámque ſarcirent. Deportari etiam eos, & in ſeruitutem redigi poſſe placuit. §. *Item finitur. qu. mo. tut. fin. apud Iuſtin. l.* 14. *ff. de tutelis.* Ita *l.* 7. C. *de pœnis*, id cauetur nominatim, impunitatem delicti propter ætatem non dari, ſi modò in ea quis ſit, in qua crimen quod intenditur, cadere poſſit.

De Clerico venatore.
Tit. 24.

ARistoteles *lib. 1. Politic. cap. 5.* θηρευτικὴν facit μέρος τῆς πολεμικῆς : & Xenophon *lib. 1.* Κύρου παιδείας, venationem ait esse, μελέτην τοῦ περὶ πόλεμον. Ea ratio facit, vt quemadmodum Clerici iubentur ab omni contentionis & belli specie abstinere; ita his venari non liceat: & hoc titulo igitur, ex Concilio Aurelianensi habito in Gallia, his interdicitur genere omni venationis. Idem cauetur *cap. 6. §. de censibus, & cap. 1. §. ne Cler. vel Mon.* Yuo *ep. 65.* in Episcopo damnat venandi studium. Id quoque monachis est inhibitum, *cap. 1. §. porro. §. si qui verò. de statu Monach. in Clem.* Eo nomine malè semper audiuêre Clerici Galli, vt constat

ex *can.* 1. 34. *dist.* Itaque præterquam in Concilio Aurelianensi; id etiam constitutum est in Synodo habita temporibus Caroli Magni, ne Clerici venationibus operam darent, vt constat *ex lib.* 5. *Capit.* 2. *&* 13. *& addit.* 3. *cap.* 4. Est etiam hac in re vetustior Ecclesiæ constitutio, vnde Synes. *ep.* 105. cùm in Episcopum allectus esset à ciuibus Ptolemaidis, sibi ait esse necesse relinquere institutum venationis, quo apprimè delectatus fuerat; φιλοπαίγμιον ὧν ὅσον κὴ παιδόθεν αἰπάν ἔχον ὁ πλο- μανεῖν τι, κὴ ἱππομανεῖν περὶ τὸ δέον ἔς, ἀνιάσομαι μὴ πὶ γὸ πάθω, τὰς φιλπάτας κύνας ἀθήρας ὁρῶν, κὴ τὰ τάξα θριπιδέσαλα; καρτερήσω ἢ, αὖ ὁπαΐη θεός.

De Clerico percussore.
Tit. 25.

RECTÈ D. Ambros. in can. non pila. & can. cõuenior. 23. qu. 8. *Lacrymæ & orationes, arma sunt, & munimenta sacerdotis.* & in l. 10. C. de Episc. & Cler. *Episcopo vel sacerdoti sanctitas ignoscendi gloriam dedit.* Id & obseruatum veteribus qui legibus suis sanxerunt Pontifices & Sacerdotes à sanguine immunes esse, vt docet Seneca *contr.* 2. *lib.* 1. & ita Titus Imp. Pontificatum maximum se accepisse profitebatur, vt puras seruaret manus, vt tradit Sueton. *in eius vita, cap.* 9. His est consequens, vt uemini Clericus vim inferre debeat, aut quemquam quolibet modo cædere. Hinc & Iustinianus N. 123. de Episcopo ita cauet nominatim, ἵνα ἔξεστιν οἰκείας χεροὶν ὅπλισμον παρὰ πλήθη· πῶς δ' ἀμύητον ὂν τῆ

ἱερέων. Id etiam generaliter cautum eſt, in conſtitutionibus Apoſtolorum, *can.* 27. Clericus igitur qui aliquem ceciderit, aut fuſtibus percuſſerit, pro iniuriæ qualitate, vel deponitur, vel certo temporis ſpatio ab altaris miniſterio abſtinere iubetur. *cap.* 1. & 2. *hoc tit.* Deponitur etiam is, qui operam in bello præſtat qualicumque ratione, *cap.* 5. j̃. *de pœnis.* Sed & qui in bello contra infideles aliquem percuſſit, omnino culpæ exſors non eſt, & facere tutiùs dicitur, qui ſe ab altaris miniſterio abſtinet. *cap. fin.* s̃. *de homicid. vol. & caſ.* Qui autem non data opera, ſed dum caſu adeſt in rixa, lapides proiicit, & vim illatam repellit, ſi nemo vulneratus ſit, ab omni reatu immunis eſt. *cap. pen. & vlt. hoc tit.*

De Maledicis. Tit. 26.

PRior pars eius tituli est de his, qui honorē summi Pontificatus improbo petulantique maledicto minuunt, ne id impune ferant. *Exodi cap.* 22. generaliter de supremis Principibus, aut eorum magistratibus ita constitutum est: θεοὺς οὐ κακολογήσεις, καὶ ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς. Dii eo loco appellantur, qui summam Reipublicæ tenent, vel quamcunque eius partem administrant. Ea ratione, locum illum in versibus aureis qui Pythagoræ tribuuntur,

πρῶτα μὲν καταχθονίους σέβε δαίμονας,

Hierocles ita exponit, πρῶτον μὲν τοὺς ἐπὶ τῆς πολιτείας δικαιωθέντας. Fa etiam de re ita edicit can. 84. Apost. ὅστις ὑβρίσῃ βασιλέα ἢ ἄρ-

χοντα περὶ τὸ δίκαιον, ζημίαν ζυννύτω· κὴ εἰ μὲν κληρικὸς, καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφορίζεσθω.
Secunda pars est de Blasphemis in Deum, contra quos pœna canonica constituitur, vt graue delictum solenni ieiunio & pœnitentia diluant. Iustin. N. 77. εἰ κτ' ἀνθρώπων γινόμενα βλασφημία ἀνεκδίκητον καταλιμπάνειν· πολλῷ μᾶλλον εἰς αὐτὸ τὸ θεῖον βλασφημῶν ἄξιός ἐστι ζημίας τυγχάνειν.
Eadem N. eiusmodi blasphemi vltimo supplicio puniuntur: quod etiam continetur in constitutionibus Caroli Magni, *addit. 3. cap. 52.* Nouissimæ constitutiones Christianorum Franciæ principum, pro blasphemiæ qualitate, enormis delicti reos modò palo adfixos catamidiari iubent, modò linguam quæ infaustas voces edidit cultro transfigi, modò labia quæ verbis sceleratis viam

non obſtruxerunt ferro proſcindi decernunt: nonnunquam eoſdem vltimo ſupplicio affici volunt: qua de re ſunt & decreta ampliſſimi ordinis quamplurima.

De Clerico excommunicato, depoſito vel interdicto miniſtrante. Tit. 27.

DOcet hic titulus quæ ſit pœna Clericorum qui ab officio depoſiti, & regradati, vel etiam ab altaris miniſterio ſuſpenſi, nihilominus munus ſibi creditum attrectare, aut quoquomodo ſacra myſteria celebrare auſi fuerint. Qui poſt depoſitionem ſiue καθαίρεσιν celebrant, *ex can.* 28. *Apoſt. in cap.* 1. *hoc tit.* maiori excommunicatione percelluntur, id eſt, ab Eccleſia procul abiiciuntur, & vt ha-

bent ipsa verba canonis, ἐκκό-πτονται τῆς ἐκκλησίας. Hoc ita constitutum Zonaras ait *ad d. can.* 28. διὰ τὴν ἄκραν ἀναίδειαν, καὶ ὅτι καὶ κανονικῶς κολασθῆναι δύνανται ἄλλως, ἤδη καὶ προκαθήρηνται. At si & coercitionem illam insuper habuerint, postulante Episcopo à principe vel iudice sæculari in exilium mittuntur, *cap.* 2. Hi quibus tantùm est interdictum ministerio altaris, si ad illud accedant, monentur primùm ne vetita attentent: deinde si nec monitis Episcopi acquiescant, deponuntur & beneficiorum suorum iactura multantur. *cap.* 3. 4. 6. Eadem causa est eorum, qui in loco interdicto diuina celebrauerint, *cap.* 7. §. *fin. hoc tit. cap.* 11. j. *de priuil. & exc. priuileg.* Qui verò errantes, vel suspensionis ignari rem diuinam peregerint, omni culpa vacant, nisi ratio aliqua

fuerit, cur existimare debuerint se esse suspensos, aut etiam fama aliqua ad eos perducta sit: quo casu tamen ex dispensationis benignitate ad exsecutionem officii admittuntur. *cap. 5. & pen. hoc tit.* Idem est de his qui ignorantes ab excommunicato Episcopo ordines acceperint. *can. ab excommunicatis. 9. qu. 2. cap. vlt. §. de ordin. ab episc. qui renunt. Episc.* Hi quibus sacris interdictum est, intra id tempus beneficium obtinere non possunt, & si diu in excommunicatione permãserint, ea quæ prius habebant amittunt. *cap. 8. §. de æt. & qual. ordinand.* Non item habent interim eligendi facultatem: & ideo electio vel postulatio ab his facta nullius momenti est. *cap. 8. §. quia nobis. §. de consuetud. cap. 1. §. de postul. præl.* Hi quoque qui Clericis excommunicatis beneficia contulerint, eam pœnam patiuntur, vt conferendi potesta-

tem habere desinant, donec veniam reatus impetrauerint. *d. cap. 7. in pr. hoc tit.* Sed & Episcopus ipse, si sit suspensus vel excommunicatus, non potest Iurisdictionem suam exercere, hoc est excommunicare, dare & conferre præbendas, & cetera eiusmodi exsequi. *can. audiuimus. 24. qu. 1. cap. fin. §. de excess. præl.* quod est intelligendum de excommunicatis maiori excommunicatione: nam hi qui minori excommunicatione (quæ consortio & conuictu excommunicatorum contrahitur) ligati sunt, licet eligi non possint, eligere tamen possunt, & ea omnia quæ ipsis ratione iurisdictionis competunt exercere. *cap. 39. §. de elect. cap. vlt. hoc tit.*

De

De Clerico non ordinato ministrante. Tit. 28.

NOn de Clerico hîc agitur, qui nullum ordinem in Ecclesia adeptus est; nam nec talis clericus esse potest: sed de eo qui in minoribus constitutus, ea quæ non nisi maioris gradus Clericis permittuntur, ipse ausu temerario sibi arrogauit: veluti si Diaconus, nondum Presbyter, Missarum solennia celebrauerit, aut qui inferioris subsellij est, ea quæ ad Diaconi ministerium tantùm pertinent, peregerit, & ita deinceps. Hi omnino deponuntur, aut ex benignitate iisdem indulgetur, vt in ordinibus in quibus sunt constituti, ministrare in Ecclesia possint: ad gradus autem maiores non ascendunt.

De Clerico per saltum promoto. Tit. 29.

CVm ad sæculares honores non nisi per gradus ascendatur, & eorum gerendorum promiscua facultas non sit; sed ordo adhibeatur, vt quis maiorem magistratum gerere non possit, nisi qui minorem susceperit. *l. 45. quæ vtiliter. ff. de negot. gestis. l. 11. l. 14. §. gerendorum. ff. de muner. & hon.* meritò obtinuit, ne in Ecclesia quis possit Presbyterii vel maioris dignitatis locum ambire, qui aliquandiu in minoribus ordinibus non manserit, & in his se probauerit. *can. si officia. 59. dist.* D. Hieron. in epitaph. Nepotiani: *Quid multa? fit Clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.* Ab Ecclesiæ dignitatibus neophytum remoueri, D. Paulus constituit, 1. *ad*

Timoth. ἵνα μὴ πυφωλὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ. Idem Nicena Synodo cautum eſt, *can. quoniam multa. 48. diſt.* Ita can. 80. Apoſt. ἄδικον τὸν μηδέπω πεῖραν ἐπιδεξάμενον, ἑτέρῳ τῷ διδάσκαλον. Ea ratione Iuſtin. *N.* 123. iubet vt ſi quem ex plebe in Epiſcopum aſſumi oportuerit, prius is qui eligitur, inter Clericos tribus menſibus conſiſtat. Idem huic rei ſex menſes primùm præſtituerat, N. 6. Gregor. Nazianzenus apud eundem Iuſtin. *N.* 137. *in edit. vulgari, & d. N.* 123. *in editione Haloandri*, ita inſurgit aduerſus eos qui ad Epiſcopale faſtigium aſcendunt, antequam ſe tanto honore dignos probauerint: οἱ μηδὲν ἱερῷ σωλῆνι προσηνεγκότες, μηδὲ τῷ καλῷ προσαλαπαρήσαντες, ὁμοῦ τε μαθηταὶ, καὶ διδάσκαλοι τῆς εὐσεβείας αὐχαλίκωτοι, καὶ πρὶν καθαρσίῳ καὶ κα-

διάκονος· ἐὰν ἐν πρώτοις, καὶ σήμερον ἱερεὺς· ἐὰν ἔτι ἐν τοῖς ἔξω, καὶ μυσταγωγὸς σήμερον. Clericus autem hic per saltum promotus dicitur, qui præpropere à minoribus ordinibus ad superiores ascendit, mediis neglectis: Iubetur verò si ex ignorantia id factum sit, eos quos omisit adipisci, deinde superiores repetere; quod non nisi ex indulgentia & benignitate admittitur. At si ex superbia, & contemptu minores ordines Clericus insuper habuerit, omnino arceri debet à clero. *can. fin. 51. dist. can. vn. 52. dist.*

De eo qui ordines furtiuè suscepit. Tit. 30.

NOn minùs delinquunt, qui furtim ordines susceperint, quàm qui minoribus derelictis ad superiores ascendunt: ideo

prohibentur omnino in his ordinibus ministrare, ad quos, non vt par est, accesserunt. Si verò monasticæ vitæ propositum eligant, κατ' οἰκονομίαν iis conceditur ministerium in illis, quos clanculum sunt adepti. Furtivè autem ad ordines accessisse dicuntur, qui vel in his suscipiendis proprio Episcopo obrepserunt, vel eo contempto, sine dimissoriis litteris ad alium se contulerunt, à quo se ordinari curarunt.

De excessibus Prælatorum & subditorum. Tit. 31.

QVi præcesserunt tituli, speciales fuerunt de delictis aliquibus coërcendis: hic vero generalis est, & ad omnes pertinet, siue Prælatos, siue subditos: vt ea quæ contra ius fiunt, canonicam emendationem consequantur, & ad regulas disciplinæ Ec-

cleſiaſticæ omnia reuocentur. His hæc continentur, ne Epiſcopi, vltra quàm par eſt, in exigendis procurationibus & iuribus Epiſcopalibus oneroſi exiſtant. *cap.* 1. & 7. Hac in re frequenter ſancti Canones illud D. Petri vſurpant, *ep.* 1. *cap. vit.* ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, μὴ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως, μηδ' ὡς, κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Eiuſmodi ſunt ea; ne Epiſcopi poſſint infringere libertates monaſteriorum, & ab eis quicquam exigere præter canonicam obedientiam; ne quid item audeant in monachos religioſos, qui in monaſteriis degunt, aut malignè ſæuientes aduerſus eos iniuriam inducant. *cap.* 15. 16. *& pen.* Pari conditione cenſentur inferiores

prælati, ne præter conſcientiam Epiſcopi, iis liceat vnam Eccleſiam aliis ſubiicere, ſubnectere, aut vnire. *cap.* 8. ne ex his quæ ad Epiſcopi iuriſdictionem pertinent, quidquam vindicent. *cap.* 12. ne item in Eccleſiis, in quibus collationem vel præſentationem habent, inſtituant ſe ipſos, *cap.* 3. quod conſtitutum quoque *cap. vlt. §. de inſtit. cap. per noſtras. §. de iure patr.*

De noui operis nunciatione.

Tit. 32.

EX iure ciuili totum eſt quod hoc titulo proponitur. Operis noui nunciatio fit iuris ſui conſeruandi, aut damni depellendi gratia; veluti ſi Eccleſia in territorio aliquo exſtruatur, quæ præiudicium inferat Eccleſiæ baptiſmali: vel ſi quis in aliquo loco ædificet, quem ſuum alius aſſerit,

Digitized by Google

opus nouum nunciatur ædificanti. *cap.* 1. *& pen.* Idem eſt, ſi quid contra ius ſeruitutis fiat. *l.* 17. *inter. ff. de ſeruit. vrb. præd. l.* 7. *& ſi fortè. §. vlt. ff. ſi ſeru. vind.* Is effectus nunciationis eſt, vt quod poſt eam factum eſt reſtituatur, id eſt, opus demoliatur, niſi poſt nunciationem remiſſio ſit facta, aut ſatiſdatio præſtita de opere demoliendo, ſi conſtiterit rectè nunciatum. Nunciationis remiſſio fit à iudice, cùm nunciatio non tenet, cùm is qui nunciauit nunciandi ius non habuit, vt conſtat ex edicto Prætoris de remiſſionibus. Ceterùm qui opus nouum nunciat, ſi paratam habeat iuris ſui probationem, impedit opus fieri intra tres menſes: his elapſis reus opus inſtitutum exſequi poteſt, præſtita cautione de eo deſtruendo ſi cauſæ exitus ferat. *cap. vlt. l. vn. C. hoc tit.* Vt autem non ſolùm verbo, ſed etiam

per iactum lapilli iure ciuili fit nunciatió. *l. 5. §. meminisse. ff. hoc tit.* ita & hoc iure. *cap. 30. j. de verb. signif.*

De Priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum. Tit. 33.

DE omni priuilegiorum genere est titulus hic; sed de his præcipuè, quæ monachis & monasteriis eorum competunt: ne quisquam Episcopus iis deroget; ne monachi inuicem priuilegii occasione quid præsumant, quo iurisdictionem Episcopi & ceterorum minuant. Priuilegium dicitur lex priuata, quæ quid specialiter indulget. *can. priuilegia. dist. 3. cap. 25. §. hic autem sensus. j. de verb. signif.* Ex iure communi est, vt omnes basilicæ, Ecclesiæ, monasteria, & quælibet domus religiosæ Episcopo sint subiectæ: Priuilegium ergo est, si quæ ex

his à iuriſdictione Epiſcopi ſpecialiter eximantur : Ea ratione qui illud ſibi arrogant, eius fidem facere debent eo prolato. *cap.* 7. & 8. *hoc tit.* Amittitur autem per non vſum. *cap.* 6. & 15. *l.* 1. *ff. de mũd.* Item ſi quis aliter, quàm par eſt, eo vtatur cum graui aliorum detrimento. *cap.* 24. Cùm in priuilegiis dubium quid eſt, eam interpretationem accipiunt, vt ſit aliqua eorum vtilitas, & res magis valeat quàm pereat. *cap.* 30. At vbi ſemel valuere, & aliquem habent effectum, in aliis reſtringi debẽt, ne pereat ius commune. *l.* 35. *ſi quando. C. de inoff. teſtam.*

De Purgatione canonica.

Tit. 34.

PVrgatio canonica dicitur, quia canonibus recepta eſt. Indicitur ei, qui in alicuius crimĩis grauem ſuſpicionem vo-

catus est, (cùm aduersus eum probatio legitima non est, sed præsumptio tantùm non modica) vt existimationem suam ab omni infamia redimat. *cap.* 1. §. *de confess. cap.* 8. §. *de cohab. Cler. & mul. cap.* 19. *&* 21. §. *fin.* §. *de accusat.* Synes. *ep.* 44. ad Ioannem quemdam de graui aliquo crimine suspectum: εἰ ἢ πύχοις ἀναίπός συ ἢ καθαρὸς τῷ ἔργῳ, μήπω σοφίζας, μήπω βυλεύσας ἔργον ἐξαίνοι, ἀλλὰ ἡμῖν γε τοῖς ἀνθρώποις ὅπως καθαρὸς, ἕως ἀναπολόγητος ἦς. Obtinuit olim, vt ait Yuo Episcopus Carnotensis *ep.* 206. vt fieret purgatio canonica eius tantùm iuramento, qui prauæ alicuius suspicionis macula laboraret: quod & probatur *l. vlt.* §. *sicubi. C. de his qui ad Eccl. confug. & can.* 1. 15. *qu.* 5. Postea illud in vsu cœpit esse, vt & compurgatores eidem adhiberentur, qui iurati

ſtimonium dicerent de inno-
ntia rei, & exceptiones eius
lfirmarent. Apud Arnulphum
exouienſem Epiſcopum *ep.* 9. &
p. 2. & 8. *hoc tit.* id fieri dicitur
lſumpta manu tertia, quarta,
el ſeptima ordinis ſui, id eſt, vt
ui ad purgationem cum reo ad-
nittuntur, eiuſdem gradus ſint,
rdinis, & conditionis. Manus
erò mentio fit χῖ' χῆμα, quia
ctis ſacroſanctis Euangeliis
uaſi manu iuratur. Ita *in cap.* 4.
de ſent. excom. iuramentum præ-
tari manu dicitur. Qui purgatur,
urat conceptis verbis, ſe ab eo
rimine, de quo arguitur, immu-
nem prorſus eſſe: compurgato-
es opinionis ſuæ fidem faciunt
antùm, id eſt, iurant ſe credere
veritatem eum dixiſſe qui purga-
ur. *cap.* 5. 13. & *vlt.* Debent hi eſſe
notæ exiſtimationis & fidei, &
ci notitia & familiaritate con-
uncti, quem criminis ſuſpicione

abſoluunt. *cap.* 7. 9. & 11. Qui in purgatione deficit, punitur tanquam conuictus. *cap.* 11. 13. §. *de Simon.* Nón ſolùm autem in iudiciis criminalibus, ſed etiam in ciuilibus huic purgationi locus eſt, dum de re aliqua dubia quæſtio eſt. *cap.* 33. §. *de teſtibus. cap.* 5. & *vlt.* §. *de frigid. & malef.* Idem conſtat *ex cap.* 201. & 210. *lib.* 5. *Capitular. Caroli Magni*; quibus locis ſacramentales dicuntur, qui compurgatores & coniuratores alibi.

De purgatione vulgari.
Tit. 35.

PVrgatio vulgaris dicitur quæ fit per duellum, per ferrum candens, & iudicio aquæ frigidæ, vel feruentis: quod olim ſiexi paſſim receptum erat, vt inde nomen ſortita videatur. Anti-

Digitized by Google

quum purgationis genus eſt, quod fiebat per monomachiam & duellum, quale illud apud Homerum *Iliad.* 3. Paridis & Menelai ad dirimendam Græcorum & Troianorum contentionem: in quo ineundo, ſic paciſcitur Menelaus:

ἡμέων δ' ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται,
τεθναίη, ἄλλοι δὲ διακριδὸν εἶτε πάχεσσι.

Eiuſmodi Horatiorum fratrum cum tribus Curiatiis pugna, de imperio Albanis vel Romanis decernendo apud Liuium *lib.* 1. Eiuſmodi etiam in hiſtoria ſacra *lib.* 1. *Reg. cap.* 17. Gigantis Philiſtæi & Dauidis certamen ſingulare, cuius ineundi propoſita erat illa conditio, vt ibi imperium foret, vnde eſſet victoria. Poſtmodum à publicis diſcordiis ad priuatas lites dirimendas ea res deflexit;

quod ſub ea tamen conditione admittebatur, ſi quid ita anceps, dubium & obſcurum eſſet, vt humano iudicio, vel propter probationum inopiam aut quamlibet aliam rationem, definiri non poſſet; quaſi id Dei iudicio committeretur quod apud homines erat incertum. Vnde apparet quàm miſerè quámque contra iuris humani & diuini certa ratione conſtitutas leges, non veritatis exquirendæ animo, quæ plerumque certa eſt, ſed vindictæ inferendæ immani & effera cupiditate ad eiuſmodi duella plerique cæcomentis impetu ferantur. Fuit & illa ſpecies purgationis recepta iure diuino, cùm maritus ſuſpectam adulterii vxorem habebat, quæ fieri dicebatur διὰ ὕδατος ζήλου, id eſt, per aquas redargutionis, vt continetur *cap. 5. Numer.* Quod ad eam purgationem quæ fiebat per ignem aut ferrum can-

Digitized by Google

dens, recepta etiam fuit vetereribus, vt Sophoclis locus ille oſtendit in Antigone:

ὕμνῳ δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χερσὶν,
καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνῳδέναι
τὸ πρᾶγμα βουλοῦσαι, μητ' εἰργασμένῳ.

Virgil. lib. 11. Æneid.

——— *medium freti pietate per ignem*
Cultores media premimus veſtigia prunæ.

Ita authore Heliodoro *lib.* 10. apud Æthiopes ſacer focus erat, qui dicebatur, ἀψευδὴς καθαρδόντων πυρκαϊόν. Eiuſmodi autem probationes per monomachiam, vel per ferrum candens, aut aquam frigidam vel feruẽtem, ali-

aliquando fuerunt receptæ in ciuilibus cauſis laicorũ, vt conſtat *ex capit. 1. tit. ſuperiori, canon. qui Presbyterum. 17. quæſt. 4.* Id etiam colligitur ex multis Yuonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtolis, 74. 168. 183. 232. 249. 252. & 280. Poſteà indiſtinctè prohibitæ fuerunt, *cap. vlt. ſup. de Cle. pugn. in du. capit. 8. tit. ſup. & cap. 1. 2 & vlt. hoc tit.* Ita *cap. 81. addit. 4. ad Capitularia Caroli magni* examen aquæ frigidæ fieri prohibetur, & *in cap. 10. ſup. de exceſſ. prælat.* Epiſcopus punitur, qui ferri candentis iudicio aliquem damnari paſſus eſt.

De iniurijs & damno dato. Tit. 36.

INiuriæ nomen multifariam accipitur, ſiue pro contumelia, vel damno alicui illato cum iudicio facientis; ſiue pro culpa, cum

quis ſine praua animi deſtinatione damnum dedit, dum eam curam vel diligentiam non adhibuit, quam debebat. Vtroque modo hoc titulo accipi poteſt. Agitur in eo etiam de pauperie, id eſt, damno dato à quadrupedibus. Sunt prima quinque capita, ex *cap.* 21. *& cap.* 22. *Exodi.* Si aliquis alterum percuſſerit iniurię cauſa lapide aut pugno, ei qui iniuriam paſſus eſt, cuiuſque corpori nocitum eſt, mercedes medicis præſtitæ, ceteráque impendia quæ in curatione facta ſunt, reſtituuntur, & operarum æſtimatio fit, quibus caruit aut cariturus eſt. *cap.* 1. quod idem obtinet in iure ciuili. *l. fin. ff. de his qui deiec. vel effud.* Si damnum in fructibus datum ſit, aut immiſſo pecore ſegetes fuerint depaſtæ, damni dati æſtimatio fit. *cap.* 4. Hoc nomine Græcis datur actio, quæ dicitur *καρποῦ δίκη.*

& ita Lysiæ κακοῦργων ἀμφισβητῆσις, est iudicium de læsis fructibus peragere: qua de re etiam Harpocration *in lexico decem Rhetorũ*. Qui data opera incendium facit, damnum omne restituit, & pœnitentia ei indicitur. *cap. 6.* Iure ciuili qui id fecisse cõuictus fuisset, vltimo supplicio afficiebatur, vt ex Paulo & Vlpiano docet Pariator legis Mosaicæ. *tit. 12.* quod idem constiutum *lib. 7. Capit. Caroli Magni*, *capit.* 26 Viui etiam exurebantur. *l. 9. ff. de incend. ru. & naufrag. l. 38. §. incendiarij. ff. de pœnis.* Si autem per incuriam id factum sit, & vento ferente, vel casu fortuito longiùs ignis fuerit euagatus, damnum culpa datum restituitur. *cap. 5.* quod idem iure ciuili obtinet, vt paret apud eumdem legis Mosaicæ Pariatorem *eodem titul.* idque relatum est etiam *in Capit. Caroli magni*,

Digitized by Google

cap. 21. *lib.* 6. *& d. cap.* 264. Idem est in cæteris casibus, cùm culpa alicuius factũ est vt alter damno afficeretur. *cap.* 2. *& 3. hoc tit.*

De Pœnis. Tit. 37.

PLato libr. 5. de legibus, *πμωρεία, inquit, ἀδικίας ἀκόλαθος πάσης.* Generalis itaque hic titulus adiectus est, qui ad omnes superiores pertinet, vt prout quisque deliquit, ita & puniatur, pœnáque irrogetur pro criminis modo & qualitate. Est etiã de pœnis conuentionalibus, vt ex contractu, siue clausula pœnali non possit agi, si contrahentium vterque contra fidem contractus quid egerit. Ita ex placitis Senatus Parisiensis, si sententiæ à iudicibus compromissariis latæ ab vna parte non sit paritũ, mox & altera prouocet, pœnæ com-

penſationem fieri, aut eam quæ ſoluta eſt reſtitui conſtat.

De pœnitentijs & remiſſionibus. Tit. 38.

POenæ illis criminibus irrogantur, quæ iudiciorum vigor, inſtituta accuſatione & ſeruatis iuris ſolennibus, ad veritatis lucem eduxit. Pœnitẽtia verò peccatis illis indicitur, quæ occulta ſunt; quæque ſola pœnitentis & ſacerdotis nouit conſcientia; magiſque ſpectat ad emendationem ſiue *νουθέτησιν*, quàm vindictæ perſecutionem. Ideóque in ea idem accuſator & reus qui eo facilius delicti pœnã à Deo impetrat, quòd reatus pudorem crimen confitendo ferat. Confeſſio dicta eſt antiquis exomologeſis. *can. quòd ſi. 27. quæſt. 1.* cuius non leue veſtigium *N. 141.* quæ & illud probat (quod etiam-

num certa ratione orthodoxa ſeruat Eccleſia) delicta atrociora ad Epiſcopi, aut Archiepiſcopi notionem pertinuiſſe. Gremium autem ſuum redeuntibus nunquam claudit eccleſia, vt eſt in epiſt. Ioannis Papæ, *in l. vlt. C. de ſancta Trin. & fide Cathol.* Iuſtinianus etiam in l. 23. C. de nupt. *Ea eſt Dei beneuolentia, vt quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignetur, & pœnitentiam ſuſcipere, & ad meliorem eam ſtatum reducere.* Idem N. 37. ex ſcriptura ſacra. ἡ τῦ θεῦ φιλανθρωπία ὁ τὴν ἀπώλειαν, ἀλλὰ τὴν ἀπεροφλὼ καὶ τὴν σωτηρίαν βέλεται, καὶ τὺς πλάσαντας δέχεται ὁ θεός. Eſt igitur hic titulus de pœnitentijs & remiſſionibus, in quo id in ſumma conſtituitur, neminem alterius parochiæ pœnitentem poſſe ſuſcipere: quod & continetur *lib. 7. Capit. Caroli ma-*

gni, cap. 49. Item debere ſacerdotes penſatis rerum & perſonarū circunſtātijs, vnumquodque delictum pœna indicta corrigere.

De ſententia excommunicationis & ſuſpenſionis & interdicti. Tit. 49.

RECTÈ Plutarchus in quæſtionibus Romanis, τῆς νομικίας τὸ μὲν ἱάτρευόν ἐστι, τὸ δὲ αἰτιῶδες. His conſequens eſt, vt quos iuſtè conſulens Eccleſiæ miſericordia ad frugem meliorem non prouocat, eiuſdem piè ſæuientis diſciplina ad emendationem compellat. Ea eſt excommunicatio, quæ ſola Eccleſiæ coercitio eſt, cùm illic ſubſiſtat, nec habeat vltrà quid faciat, vt dicitur *in capit. 10. ſupr. de iudic.* Dicitur ἀποκήρυξις à Syneſio *ep.*

72. quo nomine *in l. 6. Cod. de patr. pot.* significatur etiam abdicatio, quæ fiebat more Græco, qua malè pertinax peruicacis filij contumacia à patre multabatur, eo ex ædibus paternis foras exacto. Duplex est excommunicatio, maior & minor, *cap. pen. hoc tit.* Hæc à fraterna tantùm societate; illa, quæ & anathema dicitur, ab ipso corpore Christi, quod est Ecclesia, abscindit. *can. vlt. 3. quæst. 4. can. ad mensam. §. vel sententia. 11. quæst. 3.* Ita *in l. 26. C. de Episc. & Cler.* separantur hæc duo, ἀφορίζειν τῆς ἐκκλησίας, ἀφορίζειν τῆς κοινωνίας. Excommunicato nullus omnino debet esse ὁμορόφιος, ὁμοτράπεζος, vt ait idem Synes. *ep. 58.* id est nullus in mensa aut tecto communicare debet; aliàs qui communicat, à Sacramentorum participatione ipse suspenditur, *cap. 2.*

supr. de except. Fuit hæc pœna etiam apud antiquos, ne vlla intercederet societatis communio cum his qui profani erant, aut graue aliquod scelus patrassent. Eurip. in Oreste:

ἐδοξε δ' Ἀργᾳ τῳδε, μηθ' ἡμᾶς στέγας,
μὴ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε πρόσφθογγον πίειν
μητροκτόνοις.

Sic Xenophon in lib. qui inscribitur Ἱέρων, πολλοὶ πεπίνηται μοι τῷ μιαρῷνῳ, μηδὲ τὸ σιωπᾶν καθαρὸν εἶναι. Sensim autem procedere solet Ecclesia, neque accedit statim ad decretorium stilum. Excōmunicationis itaque, siue interdicti sententiam præcedere debet monitio, eáque trina. *cap.* 11. *supr. de constit. cap* 48. *hoc tit.* Ita Seruius *ad* 8. *Æn.* fulmen aliud ostentatorium vocat, quo metus incutitur; aliud peremptorium, quo mors infertur. Ita Iouis

Digitized by Google

rium, quo puniuntur nocentes. Et Seneca *lib. 2. nat. quæst.* fulgurationem à fulmine distinguit, quòd fulguratio ostẽdat ignem, fulminatio emittat: Illa vt comminatio est, & tonatio sine ictu; illa iaculatio cum ictu.

De Verborum significatione.
Tit. 40.

VT Iurisconsulti plerumque circa verborum interpretationem laborant ad eliciendas ex his contrahẽtium voluntates, ad eruendam etiam cuiusque legis, aut constitutionis mentem, & intellectum: ita huius iuris auctores maximam habent verborum rationem. Ab ea tamen recedunt nonnunquam, si scripturæ & rei cuiusque sententia aliud deposcat: quia plerumque dum verborum proprietas attenditur, sensus veritatis amit-

titur. *cap.* 6. 8. 15. Ita Iustin. elegantèr N. 146. dum loquitur de Iudæis scrupulosa interpretatione sacras scripturas peruertentibus: ἐχρῆν ἐξαίρης τῶν ἱερῶν ἀκούοντας βίβλων, μὴ φιλῶς προσπηκείαν τοῖς προάγμασιν, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀναπειμένας ἐννοίας αὐτοῖς ὁδόν. Id & Iurisconsulti faciunt sæpe, & tuendæ voluntatis gratia, quò captionẽ omnem prohibeant, verba ipsa contra propriam significationem accipiunt, vt *in l.* 15. *ex conducto.* §. *Papinianus. ff. locati.* Hinc & Modestinus *in l.* 13. εἰδέναι χρὴ. *ff. de excusat. tut.* εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὸ ῥητὸν τοῦ νόμου τοῦτο ἀποκλεῖει τὸν ἀλλοίαν, ὅμως γνώμη τοῦ νομοθέτου ἄλλο βούλεται. Definiuntur hoc titulo huius iuris multa vocabula, quæ ad varios horum librorum titulos pertinent. Eius generis sunt illa:

Digitized by Google

vt nouale sit ager nunc primùm præcisus, *cap.* 1. & 21. vt forus sit litium exercendarum locus, *cap.* 10. vt pactum sit inter partes quasi ex pace conueniens scriptura, *cap.* 11. vt oblationum nomine veniant quæcunque quacunque de causa Ecclesiæ offeruntur, *cap.* 13. 29. vt nomine Ecclesiæ, διὰ πίμου, intelligatur Ecclesia Cathedralis, *cap.* 19. vt censuræ Ecclesiasticæ appellatione veniat suspensio, interdictum, excommunicatio, *capit.* 20. vt litis verbo, lis contestata intelligatur, *capit.* 31. vt beneficij appellatione contineantur præbendæ, & quæ sunt generis eiusdem. *cap. pen.* Definiuntur & alia quoque quemadmodum illa, vt patris appellatione ἐν πλάτει intelligatur etiã auus & proauus, *capit.* 2. vt primogenitus dicatur etiam qui solus est, *cap.* 5. vt moderationis verbo facultas mi-

nuendi continetur, non augendi, *cap. vlt.*

De Regulis iuris. Tit. 41.

QVemadmodum ſuperior titulus generalis fuit ad hos libros; ita & hic vltimus. In eo pauciſſimæ collectæ ſunt regulæ ex aliquibus huius iuris locis: ſunt & aliæ aliunde adiectæ. In iure ciuili, *l. 1. ff. hoc tit.* regula dicitur breuis rerum narratio, quæ quidem ipſa per ſe ius non conſtituit, ſed ex eo iure quod eſt efficitur. Plures itaque res & cauſæ ſingulæ exiſtere debẽt, ex quibus regula fiat: quemadmodum in corporibus, quæ ex diſtantibus conſtant, ſingulæ & ſeparatæ ſpecies exiſtere debent, quæ vni nomini ſubijciãtur. Similis eſt apud Philoſophos & Rhetores argumentationis ſpecies quam Græci ἐπιχείρημα & ἐπαγωγὴν, Latini

inductionem vocant; quæ definitur ab Aristotele *libr.* 1. *Top.* ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον, ὅτι τὸ καθόλου ἕπεται. Vt eo argumentandi genere singularium facta enumeratione aliquid vniuersale efficiunt: ita Iurisconsulti, ex his quæ in singulis causarum figuris locum obtinent, generalem conclusionem eliciunt, quam regulá vocant. Plures igitur conclusiones coaceruatæ in regulã abeũt. Ita Bonifacius VIII. *hoc tit. in* 6. nõ solùm iuris regulas, quæ hinc inde sparsæ erant in Pandectis, & Codice, nec sub generali titulo de regulis iuris redactæ erant, collegit; sed multas etiam addidit, quas ipse effecit ex multis iuris ciuilis, & Pontificij locis. Eiusmodi sunt quæ traduntur in cap. 1. 8. 9. 21. 38. 52. 68. 81. & si quæ sunt similes: eas, vt breui definitione & narratione comprehensæ sunt, neutiquam in vtro-

que iure perſpicere licet: in ſingulis tamẽ caſibus cuiuſque conſtitutionis aut reſponſi inſunt, & dignoſci poſſunt, vt genus per ſuas ſpecies. Generales autẽ eiuſmodi concluſiones ſiue regulæ, certæ ſemper nõ ſunt: parum eſt enim vt vnaquæque ſubuerti nõ poſſit, ſi id ſpectetur quod excipitur. Sic nec leges ipſæ ita ſcribi poſſunt, vt caſus omnes, qui quandoque inciderint, comprehendere poſſint. *l.* 10. *neque leges. ff. de legibus*. Ea ratione, id æqui bonique iudicis officio incũbit, vt decreto ſuo, perinde vt afficitur, ex natura negotij, quod ſententiæ legis maximè conuenit, arbitretur, & legis duritiem clementi interpretatione moderetur; qua de re eleganter idem Philoſophus diſputat *libr.* 5. *Eth. cap.* 10.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX TITVLO-
rum per litteras.

A

de ACcuſationibus, inquiſi-
tionibus & denuntiatio-
nibus. pag. 415
de Adulterijs & ſtupro. 452
de Aetate & qualitate ordine præ-
ficiendorum. 47
de Alienatione iudicij mutandi
cauſa facta. 116
de Apoſtatis & reiterantibus ba-
ptiſma. 434
de Appellationibus, recuſationi-
nibus & relationibus. 213
de Arbitris. 118
de Autoritate & vſu pallij. 33

B

de BAptiſmo & eius effectu.
pag. 338
de Biga-

de Bigamis non ordinandis. 64

C

de Alumniatoribus. 420
de Capellis Monachorum & aliorum Religioſorum. 324
de Cauſa poſſeſſionis & proprietatis. 158
de Celebratione Miſſarum & Sacramento Euchariſtiæ & diuinis officiis. 317
de Cenſibus, exactionibus & procurationibus. 331
de Clandeſtina deſponſatione. 238
de Clerico ægrotante vel debilitato. 242
de Clerico excommunicato depoſito vel interdicto miniſtrante. 477
de Clerico non ordinato miniſtrante. 481
de Clerico percuſſore. 473
de Clerico per ſaltum promoto. 482
de Clerico venatore. 471
de Clericis coniugatis. 229

le Clericis non residentibus. 231
le Clericis peregrinis. 66
le Clericis peregrinantibus. 219
le Clericis pugnantibus in duel-
lo. 446
le Cognatione spirituali. 384
le Cognatione legali. 387
le Cohabitatione Clericorum
& mulierum. 228
le Collusione detegenda. 466
le Commodato. 260
le Concessione præbendæ, vel
Ecclesiæ non vacantis. 248
le Conditionibus appositis in
desponsatione, vel aliis contra-
ctibus. 378
le Confessis. 175
le Confirmatione vtili vel inutili.
221
le Coniugio leprosorum. 379
le Coniugio seruorum. 381
le Consanguinitate & affinitate.
390
le Consecratione Ecclesiæ vel
Altaris. 334

de Conſtitutionibus. 8
de Conſuetudine. 18
de Conuerſione Coniugatorum. 310
de Conuerſione infidelium. 313
de Corpore vitiatis ordinandis vel non. 62
de Crimine falſi. 462
de Cuſtodia Euchariſtiæ, chriſmatis & aliorum Sacramentorum. 341

D

de Decimis, primitiis & oblationibus. 300
de Delictis puerorum. 469
de Depoſito. 261
de Deſponſatione impuberum. 364
de Dilationibus. 148
de Diuortiis. 406
de Dolo & contumacia. 163
de Donationibus. 283
de Donationibus inter virum & vxorem, & dote poſt diuortium reſtituenda. 408

Index.

E

de ECclesiis ædificandis vel reparandis. 346

de Electione & electi potestate. 24

de Emptione & venditione. 263

de Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulteriū. 377

de Eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ vel sponsæ. 389

de Eo qui mittitur in bonorum possessionem causa rei seruandæ. 161

de Eo qui ordines furtiuè suscepit. 482

de Exceptionibus. 200

de Excessibus Prælatorum & subditorum. 485

F

de FEriis. 150

de Feudis. 273

de Fide instrumentorum. 183

de Fideiussoribus. 279

de Filiis Presbyterorum ordinandis vel non. 54

de Foro competenti. 125
de Frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi. 396
de Furtis. 456

H

de HÆreticis. 431
de His quæ fiũt à Prælato sine consensu capituli. 252
de His quæ fiunt à maiori parte capituli. 253
de His quæ vi metúsve causa fiunt. 111
de His qui filios occiderunt. 436
de Homicidio voluntario vel casuali. 442

I

de IMmunitate Ecclesiarum, cœmeterij & rerum ad eas pertinentium. 350
de Infantibus & languidis expositis. 438
de In integrum restitutione. 113
de Iniuriis & damno dato. 497
de Institutionibus. 244
de Iudæis & Sarracenis, & eorum

ſeruis. 429
e Iudiciis. 122
e Iuramento calumniæ. 144
e Iureiurando. 195
e Iure patronatus. 325

L

Libelli oblatione. 131
de Litis conteſtatione. 137
e Locato & conducto. 267

M

Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 427
le Maioritate & obedientia. 94
de Maledicis. 475
de Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. 399
de Mutuis petitionibus. 134

N

de Natis ex libero ventre. 383
Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. 354
Ne Prælati vices ſuas vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedãt. 426

Ne sede vacante aliquid innouetur. 250
de Noui operis nunciatione. 487

O

de OBligatis ad ratiocinia ordinandis vel non. 60
de Obseruatione ieiuniorum. 344
de Officio Archidiaconi. 63
de Officio Archipresbyteri. 71
de Officio custodis. 79
de Officio & potestate Iudicis delegati. 82
de Officio Iudicis. 93
de Officio Iudicis ordinarij. 89
de Officio Legati. 86
de Officio Primicerij. 74
de Officio Sacristæ. 77
de Officio Vicarij. 80
de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiauit Episcopatui. 45
de Ordine cognitionum. 152

P

de PActis. 99
de Parochiis & alienis Parochianis. 298

de Peculio Clericorum. 286
de Pignoribus & aliis cautionibus. 276
de Plus petitionibus. 155
de Pœnis. 500
de Pœnitentiis & remissionibus. 501
de Postulando. 105
de Postulatione Prælatorum. 21
de Præbendis & dignitatibus. 236
de Præscriptionibus. 204
de Præsumptionibus. 192
de Precariis. 258
de Presbytero non baptizato. 340
de Priuilegiis & excessibus priuilegiatorum. 489
de Probationibus. 177
de Procuratoribus. 106
de Purgatione canonica. 490
de Purgatione vulgari. 493
de Purificatione post partum. 346

Q

QVi Clerici vel vouentes matrimonium contrahere possint. 374

Qui filij ſunt legitimi. 400
Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari. 403

R

de RAptoribus, incendiariis & violatoribus Eccleſiarum. 454
de Rebus Eccleſiæ alienandis vel non. 255
de Regularibus & tranſeuntibus ad religionem. 306
de Regulis iuris. 509
de Religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ. 322
de Reliquiis & veneratione ſanctorum. 342
de Renuntiatione. 35
de Rerum permutatione. 270
de Reſcriptis. 11
de Reſtitutione ſpoliatorum. 160

S

de SAcramentis non iteraudis. 51
de Sacra vnctione. 49

Digitized by Google

de Sagittariis & balliſtariis. 448
de Schiſmaticis & ordinatis ab eis. 433
de Scrutinio in ordine faciendo. 44
de Secundis nuptiis. 411
de Sententia & re iudicata. 210
de Sententia excommunicationis & ſuſpenſionis & interdicti. 503
de Sepulturis. 295
de Sequeſtratione poſſeſſionis & fructuum. 172
de Seruis non ordinandis & eorũ manumiſſione. 56
de Simonia, & ne quid pro ſpiritualibus exigatur vel promittatur. 422
de Solutionibus. 282
de Sortilegis. 464
de Sponſa duorum. 371
de Sponſalibus & matrimoniis. 357
de Statu monachorum & canonicorum regularium. 317
de Succeſſionibus ab inteſtato.

294
de Summa Trinitate & fide Catholica. 7
de Supplenda negligentia Prælatorum. 38
de Syndico. 109

T

de TEmporibus ordinationū & qualitate ordinandorum. 41
de Teſtamentis & vltimis voluntatibus. 291
de Teſtibus & atteſtationibus. 180
de Teſtibus cogendis vel non. 183
de Torneamentis. 445
de Tranſactionibus. 101
de Tranſlatione Epiſcopi. 30
de Treuga & pace. 96

V

de VErborum ſignificatione. 506
de Vita & honeſtate Clericorum. 225
de Voto & voti redemptione. 315

de Vſuris. 458
Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. 254
Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitiuam. 139
Vt lite pendente nihil innouetur. 169

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google